



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>





2365/6



01 1995 2729 LIB AMSTERDAM







IO. GOTTL. HEINECCI

ICTI

CONSIL. AVLAE REGIAE PRVSS. ET IN ILL.  
VIADRINA PAND. ET PHIL. RAT. ET MOR.  
PROF. P. ORD.

ELEMENTA  
PHILOSOPHIAE  
RATIONALIS  
ET  
MORALIS

EX PRINCIPIIS  
ADMODVM EVIDENTIBVS  
IVSTO ORDINE ADORNATA.  
ACCESSERE

HISTORIA PHILOSOPHICA

ET

INDEX LOCVPLETISSIMVS.

*Editio noua & emendatior.*



AMSTELODAMI,

Apud JANSONIO-WAESBERGIOS.

MDCCCXXX.



THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHILOSOPHY

1912

AMSTERDAM



# LECTORI CANDIDO

S. P.



Vamuis & ab adolescentia disciplinis illis, quae partem hominis praestantissimam perficiunt, veramque rerum diuinarum ac humanarum notitiam ex ipsa recta ratione deriuant, magnopere me delectari meminerim, & postea ita Deo visum fuerit, vt publicum earum tradendarum munus in illustri Fridericiana mihi longe clementissime demandaretur: non tamen praefagiuit vnquam animus, fore, vt post tot eximios philosophos aliquid huius generis in lucem emitterem, aut compendiorum, quorum ipsa fere copia inopes reddimur, numerum a me amplificandum existimarem. Cum aliae enim rationes, tum vel maxime ea de re cogitare me vetuit partim iuris docendi dicundique perpetuus labor, qui extremis annis, dum Halae vixi, me sibi totum vindicauit, partim munus Antecessoris, in illustri Franequerana ab illustrissimis Frisiae Ordinibus mihi praeter omnem spem atque expectationem conditionibus satis splendidis liberaliter decretum, in quo de priscis illis amoribus meis, id est, de philosophia, paullo minus, quam antehac, sollicitus, tempus fere omne, quod a publicis priuatisque lectionibus vacuum habui illustrandae iurisprudentiae, variisque libellis iuridicis scribendis consecraui. Quin vt fatear, quod res est, nunquam fortassis me ad pristina illa philosophiae studia ita totum retulissem, vt aliis viam, qua ad sapientiam itur, docendo scribendoque monstrare constituerem, si meo res actae essent arbitrio. Noueram sane, quam

\* 3

peri:

periculosum hoc saeculo sit, vacare philosophiae, & quid rectae rationi conueniat repugnetue, libero a praeiudicatis opinionibus animo inuestigare. Non ignorabam, quantis plerumque odiis, quot conuiciis, quin & structis insidiis non nunquam, res geratur, vbi quis ab alterius opinione suam seiungit sententiam. Denique ipsa me docuerat experientia, si in vilo disciplinarum genere, in philosophiae sane studio, vbi minime oportebat, quam maxime regnare auctoritatis humanae praeiudicium, & studiosam iuuentutem magis plerumque, qua itur, quam, qua eundem est, ire. Habent fere saecula singula certam philosophandi methodum, quae aliquamdiu sola publici saporis esse solet, adolescentibusque tantisper ad palatum est, dum alius quidam philosophus non sine strepitu in scenam prodeat. Fuit, quando homines fursure scholastico pascebantur, sibi que videbantur in coelo versari, si de haecceitatibus, quidditatibus, futuritionibus, indiuiduationibus, & mille nugis metaphysicis, multa, nec sibi nec aliis intellecta, proferre, syllogismos in qualibet figura & modo tornare, eosdem ad primam reducere, regulas ex locorum dialecticorum armario depromptas, tamquam tela, vibrare, sophismatibus puerilibus etiam in re seria ludere, ludentesque his crepundiis formaliter in ruborem dare didicissent. Fuit, quando euilescere haec sacra, & sapientiae studiosi rebus aliis, puta, illis primi, secundi, tertii elementi particulis, illis coeli vorticibus, impressa illa mentibus mortalium entis perfectissimi idea, solibus denique in planetas degenerantibus, & mechanicis rerum omnium causis vnice delectari, & haec similiaque adeo pro Sibyllae foliis habere

P R A E F A T I O.

9

bere coeperunt, vt non philosophus, sed rerum omnium ignarus, videretur, qui mentem in glandula pineali delitescere, Cartesiumque solum sapere, negare ausus esset. Mirabatur tum orbis litterarius, se ex Aristotelico tam cito factum esse Cartesianum: sed multo magis paullo post mirabatur, quum alibi philosophiam corpuscularem & atomisticam, alibi nouum genus philosophandi ex Kabbalae, scholae Pythagoricae & Platonismi principiis conflatum, inualescere animaduerneret. Quo obscurior, magisque a sensu communi remota erat haec philosophia, quo plura, eaque horribilia mysteria promittere videbatur: eo magis aliquamdiu placebat ingeniis nouaturientibus, donec alii occuparent cathedras, qui vel in nullo verba magistri iurantes genus philosophandi *ελεγκτικόν* commendarent, vel iuuenes a puluere & radio excitatos ad profundiorum metaphysicam & philosophiam mathematicam reuocarent, & non nisi subtiliores istas speculationes, quas Leibnitio, Newtono, aliisque magnis ingeniis debemus, philosophematum nomine dignas arbitrarentur. Ita semper euenit philosophiae, scientiarum pulcherrimae, quod solet formae vestimentorum, quae singulis non dicam saeculis, sed lustris immutatur. Quemadmodum enim iam longiores tunicae placent, iam breuiore: modo angustiores manicae, mox prolixiores oculis blandiuntur, nihil vt nobis magis ridiculum videatur effigie, hominem pro superioris saeculi genio quam splendidissime vestitum oculis nostris subiiciente: ita & philosophia alio tempore alia ad palatum est, vt viro, philosophorum recentissimorum imbuta principiis, non minus ridiculae videantur veterum meditationes,

\* 4

quam

8 P R A E F A T I O.

quam nobis maiorum nostrorum habitus videtur. Et erit tamen, nisi fallimur, tempus, quando & horum luminibus officient alii, non multo post *μετὰ πολλῆς φαντασίας* in hoc theatrum prodituri. Rerum enim omnium, heus, quaedam vicissitudo est, nec ita profecto se habent studia mortalium, ut una eademque res diu admodum placere possit. Quod adolescens ex praeceptore me audire memini, veteranis philosophis idem plerumque fatum incumbere, quod factoribus, nouissimae vestimentorum formae ignaris: id verum esse plerique cum taedio ac dolore experti sunt. Haec itaque omnia quo saepius mecum, adhibita in consilium ratione, agitavi, **LECTOR CANDIDE**, eo beatiore semper illos credidi, qui, alio honesto vitae genere delecto, Deo rei que publicae seruiunt, & naufragia ista ex litore spectantes, sibi, non aliis, philosophantur. Ac proinde ex eo tempore, quo docere iurisprudentiam, & negotiosum istud de iure respondendi munus pro virili studui ornare, eam mihi ipse legem dixeram, ut mihi philosopharer, nec tam aliorum, quam meis vsibus, meditationes meas destinarem, tantoque magis hoc instituto meo me delectatum fateor, quanto iucundius erat, extra horrida ista, nullosque triumphos habitura, philosophorum bella, ac veluti extra teli iactum positum, solida tamen, quae ex sapientiae studio percipitur, voluptate quotidie perfrui.

Enimvero philosophantem ita, & secum habitantem in cathedram philosophicam me iterum retraxit rerum omnium arbiter, Deus, voluitque, ut, quemadmodum olim Halae; ita iam in hac illustri  
Via.

## P R A E F A T I O.

Viadrina, hæcæ disciplinas vna cum iurisprudencia traderem, & eas quidem potissimum, quæ intellectum ad inuestigandam diiudicandamque veritatem; voluntatem ad virtutem atque honestatem instituunt, & quas omnium primas ac præcipuas olim iudicabat Socrates, dum & differendo homines ad comprehendendam veritatem perducere conabatur, & philosophiam ipsam, a monstris & ociosis speculationibus perpurgatam, deuocabat e coelo, collocabat in vrbibus, & in domos etiam introducebat, iubebatque de bonis & malis, iustis iniustisque, quaerere. Quamuis autem huc euocatus nescio qua futuri præensione ominarer, non aequè omnibus gratam fore hæc muneris vtriusque coniunctionem, idque augurium me non per omnia sefellisse videatur: diuinæ tamen voluntati parere nihilominus decreui, nec animum, inuidiam veritus, despondi, sed nouam mihi hæc palæstram fore statui, in qua, quantum in philosophia profecerim, quantum inuidia & bile fluescentium hominum vuculas contemnere, ferocissimum quemque humanitate, modestia, officiis, emollire, amicos veros fide atque obsequio retinere, moresque pro virili omnibus probare bona fide didicerim, periculum fieri oporteat. Hinc diuino fretus auxilio, quod mihi a tot annis nunquam defuit, prælectiones meas, non iuridicas tantum, sed & philosophicas, non sine quadam fiducia auspiciatus, luculenter intellexi, me spe mea non esse deceptum. Vidi enim, quod præfiscini dixerim, erectioris indolis iuuenes, qui antea philosophiam tamquam infructuosum & inamoenum studium adspernabantur, cateruatim ad has acroases confluere & iam perferentiscere paullatim, quam præclarum

10 P R A E F A T I O.

clarum sit, rectam rationem perficere, & in inuestiganda diiudicandaque veritate exercere ingenium. Ne autem studiosae iuuentutis vtilitati vlla in re deesse viderer, essentque, quae in praelectionibus meis ob oculos haberent: ELEMENTA haec PHILOSOPHIAE RATIONALIS & MORALIS typis excrisci passus sum, in quibus, quid praestiterim, paucis, si operam dederis, monebo.

In philosophia RATIONALI, seu Logica, id egi, vt praecepta omnia ad finem, quem in inuenienda, diiudicanda, communicandaque cum aliis veritate consistere, omnes omnino fatentur, vnice referrem. Itaque non solam artem syllogisticam, non solam disferendi disputandique facultatem, ad quam plerique libelli Logicorum comparati sunt, mihi tradendam credidi, sed praecipue, quo ordine, quaque methodo progrediendum sit omnibus, qui veritatem reperire, eamque a falso discernere cupiunt, perspicue monstraui. Hinc, explicatis intellectus operationibus, perutilem de ideis doctrinam accurate exposui, ostendique, quomodo quilibet, comparatis sibi claris, distinctis atque adaequatis ideis, definitiones ac diuisiones rite formare, ex earum comparatione varias propositiones, axiomata, postulata, theoremata, problemata, corollaria elicere, ratiocinationes sine erroris periculo necere, experiendo denique, meditando, legendo, disputando, docendoque veritatem tum reperire, tum cum aliis communicare quam facillime possit. Non displicebunt, vt opinor, quae de his omnibus, nec non de veritatis certae ac probabilis discrimine, de variis verisimilitudinis gradibus, de ordine in meditatione, lectione librorum,

P R A E F A T I O. 11

rum, & disputationibus obseruando, de interpretatione porro, aliisque capitibus scitu necessariis, non minus, quam iucundis, passim disserui. Quos aliquando duces sequutus sum, (neque enim me puduit, ab aliis bene animaduersa in systema meum recipere,) ingenue fassus sum in scholiis, quae paragraphis plerisque subiunxi. In iisdem praecepta ipsa non paucis, iisque perspicuis, & petitis ex vniuersa philosophia exemplis illustraui. Quid enim absurdius aut taediosius est, quam perpetuo ingeminare illa vulgaria: *Petrus currit, Homo est animal* & similia, sine quibus haec sacra sibi non constare, existimarunt veteres?

In PHILOSOPHIA MORALI mentis humanae naturam, hominum mores ac vitia, horumque signa & characteres, naturam item boni, tum generatim, tum in specie summi illius ac praestantissimi, cuius in possessione vera posita est felicitas, itemque eius effecta, in quibus virtus & tranquillitas animi eminent, denique cognitionem sui ipsius, & reliqua, quae recta ratio commonstrat, media, ad veram beatitudinem adspirandi, ita explicauimus, vt, quod quidem hanc disciplinam pulcherrimam imbituro necessarium sit, nihil omnino praetermisisse nobis videamur. Fatemur, nobis doctrinas plures communes esse cum aliis, inprimis etiam cum theologo venerabili, Io. FRANC. BVDDEO, cuius olim philosophica praecepta Halae vice plus simplici interpretati sumus. Neque tamen vllius scrinia expilauimus, & pleraque eius generis praecepta vel ex principiis nostris sua sponte fluunt, vel plane aliis superstruuntur fundamentis. *Huius modi voces non est,*  
quod



*quod huius vel illius esse iudices : publicae sunt. Quod fieri in senatu solet, faciendum ego in philosophia quoque existimo, quum censuit aliquis, quod ex parte mihi placeat, iubeo illum diuidere sententiam, & sequor,* inquit Seneca Epist. XXI. Ex quibus principiis singulas conclusiones hauserim, itatim iis incurret in oculos, quos citatos in parenthesibus paragraphos euoluere haut piguerit. Operam enim in vtraque disciplina dedimus, vt doctrinas, quoad eius fieri posset, accurate inter se connecteremus. In scholiis saepe demonstrationem propositionum vberiore; aliquando explicationem earum perspicuam; non raro etiam veterum ac recentiorum testimonia reperies. Nolim vero existimes, ideo me haec ex aduersariis huc transtulisse, quasi illa aliquid probare credam, (obseruabis enim, nisi me animus fallit, me alia plane demonstrandi ratione vsurum,) sed adieci haec, vt doctrinas nostras ne veteribus quidem, rectam rationem sequutis, ignotas fuisse, intelligeres. Veritas tantum vna est, eaque hominem, qui rectam rationem in consilium adhibet, non magis potest fugere, quam solis splendor oculum bene adfectum. Quemadmodum itaque animalia quaedam oculis conuenientibus, alia apertis, incomparabile illud orbis lumen intuentur, & omnia tamen, modo caecitate non laborent; aut intra terrae viscera delitescant, solem vident: ita qui illam mentis aciem, quam rationem adpellamus, vnquam intenderunt, ii sane veritatem perspexisse videntur, quamuis alii eam veluti per nebulam, alii multo accuratius viderint. Quam iucundum vero est, videre illum consensum in doctrinis plerisque, & iis quidem quam maxime sublimibus?

bus? Quam ad excitandum virtutis studium vtile, audire philosophos, quantumlibet verae Dei cognitionis ignaros, tam multa pie ac sapienter de virtute aliisque rebus moralibus differentes? Quam praeclarum denique, horum dictorum elegantiam atque acumen expendere? Accedit, quod hac mundi senescentis ac paene desipientis aetate plerique eo philosophandi genere delectantur quod aliquid profani, vel saltem *παράδοξόν τι* sapit, & quale vel Spinozam, & Tolandum, vel Hobbesium, Baelium, ac illos praecipue, quos nouorum vocabulorum architecti *esprits forts* salutant, excoluisse constat. Si quis ergo hodie sese ab his seiungit, si philosophiam sobriam, & cum Dei, entis perfectissimi, cognitione coniunctam, sectatur: non desunt omnino, qui vel nimis, vti aiunt, theologica, vel vulgaria, vel plus iusto ad pietatem, quae tam prauis ingeniis pro superstitione est, composita illius praecepta clament. At opinione sua illos falli, non melius constabit, quam si talia ab ipsis paganis, duce recta ratione, agnita esse ostenderimus. Id igitur volumus praestare, vbicumque eiusmodi doctrinas proponi animaduertimus, quae profanis ingeniis theologica magis, quam philosophica, solent videri. Quemadmodum vero iucundum pariter ac vtile putauimus, harmoniam doctrinarum nostrarum cum aliorum philosophorum placitis ostendisse: ita non minus nos delectatos fatemur, quoties ex principiis nostris eiusmodi doctrinas fluere vidimus, quae concordiam rationis & reuelationis, quam Eusebius in Praeparatione Evangelica, Clemens Alexandrinus in Stromatibus, Dan. Hueticus in Quaestionibus Aluetanis, aliique viri docti

Eti iustis voluminibus ostendere annifi sunt, euidenter demonstrarent. Quid enim religioni nostrae honorificentius, quid ad agnoscendam scripturarum diuinitatem magis idoneum est, quam quod in tanta mysteriorum & doctrinarum sublimitate nullam doctrinam moralem, rectae rationi aduersam, inculcet, nihilque praecipiat, quod non & ipsa ratio sanctum, honestum, Deoque agnoscat dignissimum? Et hinc est, quod in iisdem scholiis & scripturae sacrae testimonia, quae doctrinis meis suffragantur, addidi, cum tamen adhibens modum, ut non temere notarem, quae iam tum fatis nota, seque sua sponte omnibus quam facillime oblatura videbantur.

Tametsi autem id praecipue consilium cepissem, ut *philosophiae rationalis ac moralis* prima elementa adornarem: praemittendam tamen putavi epitomen **HISTORIAE PHILOSOPHICAE** breuissimam, quia illius plane ignaros esse non debere censeo, qui philosophiae se dare constituerint. Et qui fieri quaeso posset, ut quis methodo philosophandi eclectica recte utatur, qui, quid a philosophis inuentum praecipuumque sit, prorsus ignorat? Et quo pacto is doctrinas philosophorum cum rectae rationis principiis contendet, qui, quid illi statuerint, & cur eas sententias adoptarint, scit iuxta cum ignarissimis? Ut iam non dicam, quam admirabilis utilitas ex huius historiae intelligentia cum ad alias disciplinas, tum ad iurisprudentiam, quae ex Stoicorum principiis paene tota conflata est, redundet? Quantumvis autem in adornanda hac historia breuitati studuerim: non tamen reliqui quidquam putavi faciendum, ut, quae in ea tradidi, omnia ex genuinis fontibus probarem, ipsos-

ipfosque auctorum libros eorumque capita diligenter adscriberem. Ceterum INDEX, quem opusculo subiunctum vides, doctrinas, quas tradidimus, omnes, earumque sedem facile tibi indicabit. Eius conficiendi curam in se suscepit amicus quidam consultissimus, quem omnem adhibuisse diligentiam, eo minus dubito, quo magis mihi comperta est illius industria.

Vnum addo, me, quamuis doctrinas, in hoc opusculo explicatas, non nisi matura praeuia cogitatione animo conceperim, non tamen iis elaborandis tantum vel temporis, vel diligentiae, impendere potuisse, quantum vel optabam ego, vel res ipsa a me flagitabat. Quum enim haec elementa praelectionibus meis seruire vellem: contigit saepe numero, vt vix quaedam in schedulas coniecero, quum ea sibi statim submittenda esse vrgerent operae, ceu fieri solet in vita hac negotiosa, quam in Academiis viuimus. Elegantiora itaque atque vberiora omnia haberes, si limam adhibere & singula semel iterumque expolire licuisset. Sed id quidem mihi iam non licuit per temporis angustiam, molemque occupationum, quae haec scribenti quotidie incubuit. Si quid igitur accuratius dicendum fuisse iudicaueris: facile me tibi adficientem habebis, at ages tamen, quod aequitate tua erit dignissimum, si in opusculo paene extemporario non omnia ad viuum refeceris. Non haec scripsi, vt vlli mortalium inferrem iniuriam. Neminem, quod quidem sciam, momordi, nemini bellum indixi, cum nullo omnino viro docto contendere immodestius, etiam vbi me dissentire ipsa veritas coegit. Quare nullam virtutis atque aequitatis rationem

nem habuisse videretur, quisquis mecum in arenam descendere, & de doctrinis meis mecum digladiari vellet. Si cui tantum ocii fuerit, vt calamum stringat: at mihi non erit, vt respondeam iis, qui in mustaceo laureolam quaerunt, aliorumque famam arrodendo sibi famam comparare student. Non horum hominum iudicio stat caditque existimatio boni viri, nec multum gloriae sibi parare solent, qui maledicendo docent, se nec sentire bene, nec dicere didicisse. Tu vale, LECTOR CANDIDE, & si tibi hoc studium meum non plane displicuerit, alteram quoque horum philosophematum partem, quae IVS NATURALE & PRUDENTIAM CIVILEM complectetur, a me expectata. In illustri Viadrina ipsis Idib. Mart. c10 10cc XXVIII.

ELE-

# ELEMENTA PHILOSOPHIAE RATIONALIS ET MORALIS.

---

## PARS I. HISTORIA PHILOSOPHICA.

---

### CAP. I. DE PHILOSOPHIA GENERATIM.

#### §. I

**P**HILOSOPHIA, cuius praecipuas partes veluti in nucleo exhibere constituimus, est cognitio \* veri & boni, ex recta ratione derivata, & ad veram hominis felicitatem comparata. Quid philosophia?

\* Quum vero scire vel cognoscere, quod recte animadvertit Aristot. *Poster. Analys. 1, 2, 1.* sit causam, propter quam res est, eandem esse rei causam, nec posse eam aliter se habere, cognoscere; facile patet, non hic intelligi scientiam vulgarem; sed ἀπομακρυνὴν & solidam.

#### §. II.

Recta ratio nobis est facultas ratiocinandi, id est, Quid recta ratio?  
veritates alias ex aliis per necessariam concludendi rationem \* eliciendi.

A

\* Quam

\* Quamuis autem semper bene ratiocinetur recta ratio, nisi præiudicatæ opiniones ipsi veluti tenebras offundant: non tamen semper ratiocinatur ex principis certis atque eulentibus, sed sæpius hypothesin adsumere cogitur. Quia itaque *principium* certæ atque apodicticæ; *hypothesis* probabilis cognitionis fundamentum est: utriusque cognitionis species in philosophiâ occurrere omnino oportet.

## §. III.

Philosophia est dogmatica, non sceptica. Ex quo facile patet, philosophiam SCEPTICAM, quia nihil cognosci posse profiteretur, philosophiæ nomen haut mereri, (§. I.) sed DOGMATICAM.

## §. IV.

Nec traditio-naria, scriptura-ria, secta-ria. Nec obscurum est, id vocabulum attribuendum non esse scientiæ veri & boni, quam vel a maioribus per manus traditam accepimus, vel ex scriptura sacra hausimus, vel ex docti cuiusdam præceptis repetimus. Vnde exfulat philosophia TRADITIONARIA, SCRIPTVRARIA, SECTARIA, quum nulla harum ex recta ratione deriuetur. (§. II.)

\* Omnium enim harum principium cognoscendi est *auctoritas* vel *maiorum*, qua præcipue barbari nitebantur, vel *scripturae sacrae*, ex qua Io. Amos Comenius aliique recentioris æui scriptores philosophari cœperunt, vel *unius hominis*, quæ sectariis pro oraculo est.

## §. V.

Falsæ philosophiæ diuisiones. Hinc diuisiones philosophiæ, quas vulgo adferunt, pleræque absconæ sunt ac minus accuratæ. Quamuis enim aliam dicant VERAM, aliam FALSAM; aliam SCEPTICAM, aliam DOGMATICAM; aliam denique ECLECTICAM, aliam SECTARIAM: falsam tamen nec non scepticam & sectariam non magis accurate dixeris philosophiam, quam statuam hominem. (§. III. IV.)

## §. VI.

## §. VI.

Quum porro ad veram hominis felicitatem com-  
parata sit philosophia, (§. I.) talisque sit finis, qua-  
lia sunt media: consequens est, (1) ut ultra peram  
philosophentur, qui de sempiterna felicitate conse-  
quenda præcepta, ex recta ratione deprompta, pol-  
licentur. (2) Vt subtiliores speculationes tanto  
minus ad sapientiæ studium pertineant, quanto mi-  
nus coniunctæ sunt cum vera hominis felicitate. \*

\* Hinc merito cordatioribus vapulant Scholastici Do-  
ctores ob speculationes de rebus, quæ vel humana  
ratione indagari nequeunt, vel saltem nihil faciunt  
ad generis humani felicitatem. Vid. Ad. Tribbe-  
chou. *de Doct. Scholast. Cap. IV. p. 65. sequ.*

## §. VII.

Quia denique philosophia in veri & boni cogni-  
tione consistit: (§. I.) ea philosophiæ pars, quæ  
mentem ad veri cognitionem præparat, INSTRV-  
MENTALIS; quæ eandem cognitione illa imbuit,  
THEORETICA; quæ denique illam ad verum  
bonum perducit, PRACTICA solet adpellari. \*

Diuisio  
in instru-  
menta-  
lem,  
theoreti-  
cam, &  
practi-  
cam.

\* Primam veteres λογικην, alteram φυσικην, tertiam  
ἠθικην vel πολιτικην adpellabant, vocibus his in la-  
tiore significatione acceptis.

## §. VIII.

THEORETICA, quum mentem cognitione ve-  
ri imbuat, (§. VII.) aut in veritates de Deo, spiri-  
tus, & mente inquirat, aut, quid circa rerum natu-  
ralium causas verum sit, indagat. Priore casu ME-  
TAPHYSICES; posteriore PHYSICES nomine  
venit.

Theore-  
ticae par-  
tes,

## §. IX.

Denique quum PRACTICA viam ad bonum o-  
stendat: ea vel, quid generatim bonum, vel in specie,  
quid iustum, honestum, decorum, vel utile sit, docet.

Nec non  
practi-  
cac.

A 2

De



De bono in genere ETHICA; de iusto, honesto, & decoro IVS NATVRALE; de utili POLITICA & OECONOMICA agunt.

## §. X.

Cur historia philosophica incunabilis incredibili studio excoluerint: ita operae pretium fuerit, reliquis philosophiae partibus praemittere HISTORIAM PHILOSOPHICAM, sed veluti in nucleum, quoad eius fieri potest, compactam.

## CAP. II.

## DE PHILOSOPHIA TRADITIONARIA.

## §. XI.

Philosophia *barbarica antiquissima*. Philosophia antiqua vulgo in BARBARICAM & GRAECANICAM dispescitur. Nam antequam Graeci alicuius nominis esse coeperant: barbaros sibi iam pridem laudem sapientiae incredibilem peperisse legimus. \*

\* Negat hoc Diogenes Laërt. I, r. sed argumentis sublevis, & paene puerilibus, vt facile adpareat, eum patriae amore nimio infantiuisse.

## §. XII.

Eius indoles. Vocabant veteres *barbaros*, quicumque Graecae non erant originis, adeoque & Hebraei eo nomine notabantur. Nobis autem tota philosophia barbarica TRADITIONARIA dici posse videtur, quum barbari omnes, reliquias sapientiae, a maioribus acceptas, sancte custodierint, easque rursus commendarint posteris.

## §. XIII.

An barbari erudi? Quod quum naturae philosophiae manifesto aduerteretur: facile patet, simplicem tantum & vulgarem fuisse barbarorum sapientiam, nec parum decipi,

cipi, qui sibi inter illos viros subtilitatum studiosos  
& veluti polyhistoros fingunt.

§. XIV.

Sapientiae studiosissima fuit gens HEBRAEA, in-  
que ea Adamus, Noachus, Moses, Dauides, Salo-  
mon, alii. Sed eorum tamen sapientia magis in  
vera Dei notitia & scientia morum, quam in spe-  
culationibus physicis constituisse videtur. \*

Sapientia  
Hebrae-  
orum.

- \* Id quod obseruandum contra Kircherum, Ioannem de Pineda, & alios, qui patriarchis eximiam in omni genere eruditionem tribuunt. Multoque magis cauendi, qui suas sententias Mosi aliisque Hebraeis adfingunt, quod fecere Edm. Dickins in *Physica vetera & vera* Lond. 1702. 4. *Auctor Mosi Copernizantis* & alii.

§. XV.

Quumque Iudaei ab aliis gentibus alto fere super-  
cilio despicerentur: parum sane verosimilis est eo-  
rum sententia, qui Pythagoram & Platonein Iudaeo-  
rum scriinia expilasse, quin cum Tertulliano *Apol.*  
*cap. XXVII.* nullum fuisse philosophum existimant, & Plato  
quin de prophetarum fonte potarit. \*

An ab iis  
profecer-  
int Py-  
thagoras

- \* Conferendi hic Io. Cleric. *Epist. Crit. VII.* Io. Alb. Fabric. *Bibl. Graecae Lib. II. Cap. XII. §. II. p. 450. Lib. III. Cap. I. p. 40.* Nic. Hier. Gundling. *Hist. philos. mor. Cap. VII. §. I. p. 74. sequ.* qui ad oculum ostenderunt, haec omnia nullo idoneo fundamento niti.

§. XVI.

Manfit ea gentis simplicitas, quoad templum prius Sectae  
stetit. Reuersi autem ab exilio Babylonico grae-  
cissare coeperunt Hebraei, & philosophiae Graeca-  
nicae principia cum antiqua patrum sapientia miscere,  
Inde natae PHARISAEORVM, SADDVCAEO-  
RVM, & Esse-  
norum.

RVM, & ESSENERVM sectae, \* quas ipse Ioseph. *Bell. Iud. L. II. Cap. VIII.* ad philosophiam referte videtur.

\* Et Pharisaeorum quidem sectam *παραπλήσιον τῆ παρ ἄλλοις Στωϊκῆ λεγομένη*, *simillimam esse sectae Stoicorum Graecanicae*, obseruat. Ioseph. *de vita sua Tom. II. Opp. p. 2.* Sadducaeos Epicuri; Essenos Pythagorae principia adoptasse, res ipsa euincit. Et sane, quum Esseni demum post exilium Babylonicum innotuerint: omnino mirandum est, Goodwinum *de Ris. Hebr. Lib. I. Cap. XII.* & Grotium *Part. I. Epist. DLII.* non obseruasse, facilius Essenos a Pythagoraeis, quam Pythagoram ab Essenis proficere potuisse.

## §. XVII.

Vnde Quae mixtura philosophiae Pythagoricae cum Hebraica adhuc in CABBALA superest, de qua quamuis magnifice permulta praedicent Hebraei: ipsum tamen systema Cabbalistarum plane non Hebraicum, sed vere Pythagorico-Platonicum esse, omnes intelligunt, quos non Hebraeum nomen & rerum obscurissimarum admiratio in transuersum rapit.

## §. XVIII.

Hodierna Iudaei aut solis vacant studiis Talmudicis, aut, si philosophantur, vel Aristotelis, vel Kabbalistarum placita sequuntur.

\* Neque enim vlla est temere pars Aristotelicae philosophiae, quam non Arabum exemplo Hebraea veste induerint Iudaeorum magistri. Specimen eius rei pereruditum dedit Iul. Struu. in *Diatr. de Logica Hebraeorum.*

## §. XIX.

Sapientia Hebraeis subjungimus AEGYPTIOS, quos tanquam illorum magistros perperam nobis sistunt Io. Marshamus & Io. Spencerus. Eos quidem sapientiae iam ante Moysis tempora operam dedisse, ex *Aeg. VII. 22.* patet: sed ab hac Aegyptiorum sapientia quam di-

diuersa fuerit illa Hebraeorum, facile animaduerteret, quicumque Mosis & Prophetarum fontes cum HERMETIS, \* HORAPOLLINIS & IAMBlicHI lacunis contenderit.

\* Sunt haec praecipua Aegyptiacae doctrinae monumenta. Quamuis enim *Hermes Trismegistus* procul dubio nullus umquam existerit, & Hermetica, quae tanto numero exstant, manifesto inulta sublesta, quin & Christiana quaedam complectantur: in iis tamen & Ἑρμῆως δόξαις, seu Aegyptiacae philosophiae reliquias superesse, rectae obseruant viri docti. Borrich. *de Herm. & Aegypt. Sap. p. 83.*

## §. XX.

Id constat, eos operam dedisse *geometriae*, aliisque matheos, tum purae, tum applicatae, partibus. Quas illi id quod vel tot obelisci, pyramides, aliaeque moles stupendae, satis euincunt. *Theologiam* eorum disciplinas excoluerint? ac *philosophiam moralem* Pythagoricae fuisse simillimam, ex Iamblichio discimus. Habuere & multas *de rebus naturalibus* traditiones, quas maximo studio occultabant, quarumque reliquias quasdam feruat Horapollo in *Hieroglyphicis* a Dauide Hoefchelio editis *Aug. Vind. 1595. in 4.*

## §. XXI.

CHALDAEOS per omnem vitam philosophari, Sapiens ait Diod. Sic. *L. II. cap. XXIX.* Originem sapientiae suae referebant ad ZOROASTREM, de quo indaco-certa omnia. Oracula eius, quae exstant a Gemirum, stio Plethone, Mich. Psello & Franc. Patricio collecta, non quidem genuina esse, at plura tamen philosophiae Chaldaicae *λήθηνα* complecti, non abs re censet V. C. Io. Alb. Fabric. *Bibl. Graec. L. I. Cap. XXXVI. §. X.*

## §. XXII.

Ex iis oraculis patet, Chaldaeos diuersas rerum Eorum emanationes, Deorumque & intelligentiarum ordines sententia statuisse, inter quos & ἄγγελοι occurrunt. A Deo de rerum aeterno origine.

aeterno ex eorum sententia emanavit ignis, seu lumen supramundanum infinitum, inde alii ordines rerum ac substantiarum triades variae, quales & Platonici postea somniarunt. \*

\* Quare nihil admirandum aut Christianum continet oraculum Zoroastris v. ζ.

Πάντι γὰρ ἐν κόσμῳ λάμπει τριάς, ἢ μοιάς ἄρχαι.

In toto mundo lucet trinitas, cuius unitas initium est.

Nec non rerum emanationibus aduersatur, quod scribit Diod. Sic. *Lib. II.* Chaldaeos mundi naturam aeternam, ac initii expertem statuiffe, itemque illud Philonis in libro *Quis rerum caelestium heres* p. 386. Chaldaeos docuisse, mundum non Dei opus, sed Deum esse.

§. XXIII.

Artes diuinatorias.

Parum quoque sapientiae minantur somnia eorum astrologica, artes diuinatoriae, magicae, theurgicae, de quibus fuse Stanl. in *Hist. philos. Orient. Sect. II. Cap. XVII. seqq.* & initiatus his mysteriis Marcus Monachus Mesopotamenus, cuius *de daemonibus enarrationes* a Mich. Psello editas nouimus.

§. XXIV.

Persicae philosophiae auctor.

PERSARUM Zoroaster Chaldaico illo aetate inferior, & Dario Hytaspis σύγκροτος, gentem, non ignaram, veritatum praestantiorum, multis praestigiis ad amplectendam nouam & a se inuentam philosophiam pellexit, si vera sunt, quae scripsit Thom. Hyde *de Rel. Vet. Persar.*

§. XXV.

Magi qui?

Philosophiae studio aeque ac sacris apud eos praecerant MAGI, de quorum compositis moribus, scientia astrologica, potentia aulica, multa extant veterum testimonia, quae collegit Barn. Briff. *de Regno Pers. Lib. II. §. LII. seqq.*

§. XXVI.

Eorum sententia de Deo.

De Deo male sentiebant Persae, duo statuentes principia contraria, *Horomazen & Arimanem*, & inter hos veluti medium & neutrarum partium, *Mithran*.

*ibran.* Quæ principia etiam in pluribus aliis systematibus pellucet, \* & saeculo Christiano tertio *Manichaeismum* pepererunt. \*\*

\* Solide hoc demonstravit V. C. Wolffius in *Manichaeismo ante Manichaeos* & Bayl. in *Diff. Hist. Crit.* voce *Manichaeism.*

\*\* Vid. Theodorit. *Haeret. Fab. Lib. 1. Cap. XIX.* Epiphani. *Haer. LXVI.*

## §. XXVII.

Quin hodiernum in Persia supersunt, qui veterem Magorum illam magorum philosophiam sequuntur, & a Magerum reliquias humedanis *Geworrum* nomine traducuntur.

## §. XXVIII.

Fuere & ARABIBUS, & in primis SABBÆIS, Arabum sui *Magi*, quorum meminit Plin. *Hist. Nat. Lib. magi. XXX. Cap. 1.* Quumque Arabia ab Hebraeis subinde vocetur *Oriens*: *Gen. X, 30. XXV, 6. 18. Iob. I, 3. Iudic. VI, 3.* verosimile admodum est, Arabes fuisse τὸς μάγους αἰν' ἀνατολῶν. *Matth. II, 1.*

## §. XXIX.

Quamvis ergo vix videatur dubitandum, quin Eorum veteres Arabes verae sapientiae non fuerint expertes, philosophique cum exemplum IOBI, \* tum locus *I. Reg. phiae in: X, 1.* fati ostendat: postea tamen in meram super- doles. stitionem abiit illa Sabbæeorum philosophia.

\* Addatur Fridr. Spanh. *Historia Iobi, edita Lugd. Bat. 1672. 8.*

## §. XXX.

Praeterquam quod de quaestione: *cur bonis mala* Et dete- *eveniant, quum sit providentia?* male philosophen- standi su- *tur Iobi amici, Iob. IV, 11-15. XXIII, 15. seqq.* quos perstitio. *viri docti Sabbæeorum sectae addictos non abs re suspicantur, non fuit gens corporum caelestium cultui, & si Arabes & Maimonidem audimus, ritibus divinae legi magis aduersis dedita, quam illa Sabbæeorum.\**

A 5

\* Sed

\* Sed quum haec sola Arabum & Rabbinorum auctoritate nitantur, vt recte obseruauit Io Cleric. in *Indice philol. ad Stanlei Histor. Philos. Orient.* voce *Sabbaei*: facile patet, quam audax sit hypothesis Spenceri *Lib. II. de Leg. Ritual. & Stanlei Hist. Phil. Or. Lib. III. Cap. V.* rationes legum ritualium diuinarum a ritibus Sabbaeorum repetentium. .

## §. XXXI.

Indorum philoso-  
phi. Vicini Persis ex altera parte erant INDI, apud quos *Brachmanes & Germanes* philosophos celebrat Strabo *Lib. XVI. p. 351.* Et Brachmanes sub vocabulo *Braminen* etiamnum in India occurrunt, de quibus praeter Palladium, Ambrosium, & Anonymum \* legendi Io. Alb. Fabricius in *Dissert. de Brachmanibus*, *Hamb. 1703: 40.* Bayl *Dict. Hist. & Crit.* voce *Brachmanes*, & M. V. la Croze *Abbild. des Ind. Christen-Staats* p. 576.

\* Coniunctim hos Scriptores de Brachmanibus edidit Eduard. Biffacus 1665. 4to.

## §. XXXII.

Eorum philoso-  
phia. Ex Deo hi omnia emanasse, mundumque nihil aliud, quam Deum extensum esse censent, quo in Deum retracto, extremum diem adiutorum existimant. Nihil ergo vere & actu existere, sapientemque ab omnibus adfectibus vacuum nihil cogitare, nihil sentire debere, profitentur. \*

\* Egregie hoc systema exposuerunt Carolus Gobien *dans la preface de l'histoire de Edit de l'Empereur de la Chine & Franc.* Bernier *dans la suite de ses Memoires sur l'Empire du Grand Mogol.* p. 202.

## §. XXXIII.

Et *ἀσκή-  
σις.* Ex quo simul facile colligas, cur tot dolores intolerabiles virtutis causa ferant sine gemitu, & iam olim mortem nihili fecisse dicantur Clementi Alexan-

xandrino *Strom. Lib. III.* Nec ignotum exemplum Calani, Indi, se ipsum ritu sollemni comburentis apud Arrian. *Expedis Alex. Lib. VII. p. 276. sequ. edit. Gronov.*

## §. XXXIV.

Simile fere iam ab antiquissimis temporibus fuit Sinensium systema. Quamuis enim ea gens um phise solam sapere, reliquas volitare velut umbras existimet, neque negandum sit, illam componendis moribus multum operae impendere: (Vid. Leibn. *Notiss. Sin. in praef.*) vere tamen Spinozismum re- dolet arcanior Sinensium philosophia, nec ab illa *ἀπαθεία* Indorum alieni sunt stolidi Confucii sectatores. \*

\* Notum est Coupletium *Confucium Sinarum philosophum*, siue *scientiam Sinensem* Latine edidisse Paris. 1687. fo. In eo an tam horribilia sapientiae mysteria latent, nuper adhuc inter viros doctos disputatum.

## §. XXXV.

Celebrantur etiam PHOENICVM Sanchunia-Nec non thon & Moschus: \* laudantur GALLORVM, GER- aliorum MANORVMQUE Druides & Bardi, THRACVM barbaro- Orpheus. Sed vt illorum obscura est philosophan- tum. di ratio: ita huius praeterea, quae ad telestica sa- cra pertinent, tantum physicae quaedam doctrinae, sed paucissimae, supersunt, de systemate plurium mundorum habitabilium, de generatione rerum om- nium ex ovo, & similes, de quibus Plutarch. *Plac. Philos. Lib. II. Cap. XIII.* & Eschenbach. in *Epigene p. 95. seq. & p. 111. sequ.*

\* Sanchuniathon siue Berytius, siue Tyrius scripsit *Φοινικία*, in quibus multa ad *ἱερωσύνην* pertinentia, ceu patet ex fragmento apud Euseb. *Lib. I. Praep. Euang. p. 31.* Ea se accepisse ait Sanchuniathon ab *Hierom- bal sacerdote Dei Ieuo*, quem Gedeonem esse, praeter Huetium credit Bochartus in *Chanaan Lib. II. Cap. XVII.*



*XVII.* qui & totum apud Eusebium fragmentum erudite, uti solet, explicat. At quae de Sanchuniathone circumferuntur omnia pro imposturis venditant Io. Henr. Vrsin. *de Zoroastre, Hermete & Sanchuniathone*, & Henr. Dodwellus in *Met. stud. theol.* Vid. *Act. Erud. Lips. Suppl. Tom. II. p. 512.* De Moscho quoque omnia incertissima, ut nihil agant, qui cum Huetio Mosen cum Moscho confundunt.

## CAP. III.

## DE PHILOSOPHIA GRAECANICA.

## §. XXXVI.

**Philosophiae Graecanae in-  
doles.** **M**Aiorem philosophiae studio strepitum dederunt Graeci, qui, quamvis quaedam a barbaris acceperint, hanc tamen laudem sibi habent propriam, quod accuratiorē philosophandi ratione usi, solam rectam rationem duces vel sequuti sint, vel sequi saltim voluerint.

## §. XXXVII.

**Eius di-  
uerse fa-  
miliae.** Ceterum Graecorum philosophorum quaedam veluti familiae sunt. Alia enim est philosophia POETICA, alia ITALICA, alia IONICA, alia ELEATICA. Sed ab his *dogmaticis* merito segregandi SCEPTICI vel APORETICI, quemadmodum a *sectariis* ECLECTICI, de quibus Gottfr. Olear. *Diff. sing. de philos. elect.* subiuncta Stanleii *Hist. philos. p. 1205. seqq.*

## §. XXXVIII.

**Philosophia poetica.** POETAS, antiquissimum sapientum genus, primos omnium philosophatos esse, constans opinio est. Cic. *Tuscul. Quaest. Lib. I. Cap. I.* Enim vero, quemadmodum plerique traditiones de rerum ortu *Θεογονίας* suis; praecepta moralia fabulis includebant: ita obscura hodie est huius philosophiae interpretatio, de qua ne inter ipsos quidem veteres fati constitisse arbitror. \* Vid. Plutarch *de aud. poet. Tom. II. Opp. p. 14. sequ.*

\* Hinc

\* Hinc variae fabulas interpretandi methodi. Alii mera hic deprehendunt mysteria physica, chemica, metaphysica: alii meras historias siue sacras, siue Phoenicias: alii historiolas nullius momenti, mirabilibus circumstantiis vestitas, alii mera moralia sibi videre videntur. Primi generis interpretationes dabant Platonici, secundi specimen non vnum exhibere Bochartus, Huetius, & Io. Clericus, tertium praecipue placuit Palaephato, aliisque scriptoribus *περί ἀπίστων*, de quibus Fabric. *Biblioth. Graec. Lib. I. Cap. XXI. sequ.*

## §. XXXIX.

ITALICI philosophi originem debent Pythagorae, Samio, quem inter Olymp. XLIII, 4. & LII, 4. natum, erudite docuerunt Guil. Lloydus, Rich. Bentleius & Henr. Dodwellus. Hic magnus naturae verique auctor, collecta sibi in variis mundi partibus magna doctrinae copia demum circa Olymp. LXVII, 1. in Italiam secessit, & Crotonae scholam vel *κωμόβιον* aperuit, ex quo maxima discipulorum cohors prodiit, quorum elenchum alphabeticum Fabric. *ibid. Lib. II. Cap. XIII. pertexuit.* \*

\* Inter hos tamen non omnes Πυθαγορικά, id est, Pythagorae discipuli, sed plures etiam Πυθαγορεῖοι, seu Pythagorae sectatores. De qua distinctione quid sentiendum, disquirat Dodwell. *de ast. Pythag. p. 193.* Praecipui ex Pythagoraeis sunt Archytas Tarentinus, Ocellus Lucanus, Epicharmus, Hipparchus, Philolaus, Timaeus Locrus, alii.

## §. XL.

Vita Pythagorae ex Porphyrio, Iamblicho & Anonymo apud Photium, quos V. C. Ludolphus Kusterus eleganter reculos dedit; \* historia philosophiae Pythagoricae ex Io. Schefferi libello egregio de *Philosophia Italica*; ipsa dogmata Pythagorica ex *Fragm.* Libri ad hanc philosophiam pertinentes.

*Fragmentis Pythagoraeorum*, a *Thoma Gale* editis, nec non ex symbolis Pythagoricis, & *Aureis Pythagorae carminibus*, \* eorumque interprete, *Hierocle*, petenda est.

\* Sed permulta in his vitis ficta videntur, ut sint viri doctissimi, qui vitas philosophorum a *Porphyrio*, *Iamblich*o, *Eunapio*, *Philostrato*, non alio sine scriptas existiment, quam ut heroas suos Scruatori nostro opponerent. *Fabric. Bibl. Graec. Lib. IV. Cap. XXIV. p. 45.*

\*\* Nec tamen a *Pythagora* scripta esse haec carmina; inter omnes constat, sed, ut *Stanleio in Pythag. cap. XXI. p. 699.* visum, ab *Epicharmo*, vel, uti laudatus *Fabricius* erudite suspicatus est, ab *Empedocle*. *Vid. Bibl. Graec. Lib. II. Cap. XII. §. VI.*

### §. XLI.

*Pythagorae disciplina & inuenta.* Quamvis autem *Pythagoras*, imitatus *Aegyptios*, in occulto haberet sapientiam suam, *Iambl. segm. CCXLV.* & ne ipsos quidem discipulos ad acroases promiscue admitteret: \* satis tamen constat, eum primum geometriam, arithmeticam, musicam, praecipuo studio excoluisse, easque scientias non vno inuento locupletasse, inter quae praeter monochordum est nobile illud & dignum hecatombe theorema de potestate hypotheusae in angulo orthogonio. *Laërt. VIII, 12. Vitruv. Archit. IX, 2.*

\* Alii erant *esoterici*, alii *exoterici*. Alii *mathematici*, alii *acusmatici*, de quibus *Iambl. Vit. Pyth. segm. 81. & Porphy. p. 196.*

### §. XLII.

*Eius doctrinae de philosophia in genere & de Deo.* Philosophiam, cuius ipse primum nomen inuenerat, *Iambl. Vit. Pythag. Cap. XXIX.* definiebat, quod sit *scientia entium quatenus existunt*, quam definitionem eruditissime explicat *Iac. Thomaf. Orig. philosoph.* Diuidebat illam in **THEORETICAM** & **PRACTICAM**, eiusque finem esse dicebat, nihil admirari, *Plutarch. de audiendo T. II. p. 44.* huius, mentem ex vinculis corporis eruere atque in liber-

libertatem vindicare. Porphyr. *Vit. Pyth.* p. 201. Illius partes erant INTELLIGIBILIA, de Deo & Diis, & NATVRALIA, de rebus corporcis Animum per vniuersas mundi partes omnemque naturam diffusum vocabat Deum, eumque vnicum insensibilem & intelligibilem, luci & veritati simillimum, quia solum sapientem, statuebat. Lactant. *I, 5.* Porphyr. *Vit. Pyth.* p. 198. Et subiiciebat Deos, daemones & heroes, *Aur. Carm. v. 1. sequ.* de quorum natura, operationibus, cultu subtiliter philosophabatur. Vid. Hierocl. *in Comment. ad Aur. Carm. v. 1. seqq.* Quæ supra lunam sunt, prouidentia; res sublunares partim fato, partim fortuna, partim prouidentia, partim consilio regi statuebat. Quod exemplo illustrat Anonym. apud Phot. *cod. 259.*

## §. XLIII.

Mundum, quem non tempore, sed cogitatione Nec non ortum, nec interitum, dicebat, (Stob. *Ecl. Phys.* de mund. *Lib. I. cap. 25.* Plut. *de Plac. philos. II, 4. & 14. do.* ipse primus *κόσμος* vocabat. Stob. *ibid.* Eius systema Copernicano plerique simile fuisse existimant. \* Stanl. *de Doctr. Pythag. Cap. I. p. 745. seq.* Quæ autem de harmonia orbium caelestium, & suavi istorum concentu somniauit, legi possunt apud Cic. *in Scip. & Censorin. de Die nat. Cap. XIII.*

\* Terram sane immotam non esse, statuit, Plut. *in Numa p. 67. Ion. I.* Arist. *de caelo Lib. II. Cap. XIII.* medium autem in mundo locum igni tribuit, quem & Vestam vocabat. Sed rem tamen argumentis haut poenitendis in dubium vocat Ez. Spanh. *de Vesta & Pritanib. Graec. ap. Graec. Thesaur. Ant. Rom Tom. V p. 688.* Sane mundum mediam terram continere adseuerabant Pythagoræi. Vid. Laërt. *Lib. VIII. segm. 27.* eorumque systema Ptolemaico haut absurdum tradit Anon. ap. Phot. *Cod. CCLIX.* Quin quum primus omnium Philolaus motum telluris inculcasse dicatur Diog. Laërtio *Lib. VIII. segm. 85.* non video, quomodo id tribui possit Pythagoræ. De antichthone Pythagorica quid sentiendum sit, iam a Jac. Thomasio ostensum est,

## §. XLIV.

## §. XLIV.

Itemque de anima & rebus morali-  
bus. Immaterialia sola vere entia statuebat, adeoque & hominis essentiam in sola mente existimabat positam, quae quum diuinæ essentiae particula videretur Pythagoræ, veram felicitatem in eo ponebat, ut mens ex impedimentis vinculisque suis eximatur, & in libertatem vindicetur, \* Porphyr. *Vit. Pythag.* p. 201. quo ad illam ἐπιείκεια τῆ θυσίᾳ; in qua vera consistat felicitas, adspiret. Vnde gradus illi purgationis, adscensus mentis, quin deificationis, quibus prope similes mysticos postea reperisse, nouimus. Quum autem hæc omnia sine corporis oppressione fieri non posse crederet: varios commendauit Casarius, varios modos in corpus animaduertendi, de quibus peraccurate Io. Fr. Budd. in *Diff. de ἀσκήσει φιλοσ.* §. VII. X. XVIII.

\* Corpus enim, in quod mentem illabi putabat per vices, non pro parte hominis essentiali; sed pro carcere mentis habebat. Vnde illa μεταμύχηση Pythagorica, de qua Laërt. *Lib. VIII. segm. 14.*

## §. XLV.

Pythagoræ fanaticismus. Enimuero multa sunt in vita Pythagoræ, ex quibus, eum a fanaticismo haut alienum fuisse, patet. Eo enim merito referas femur aureum, Laërt. *VIII, 11.* Porphyr. p. 193. Iambl. *Vit. Pyth. cap. XXVIII.* reminiscentiam animæ Pythagoricæ, Iamblich. *ib. cap. XIV.* confabulationes cum brutis, Iamblich. *ib. cap. XIII.* quin cum fluuiis, Porphyr. p. 192. diuinationes denique; quas iactauit, superstitiosissimas, per thus, auguria, somnia, numeros, astra, aquam, de quibus fufe Stant. *Part. III. Sect. III. Cap. IV. p. 764.*

## §. XLVI.

Scholæ Ionice auctor Thales Milesius. In eandem fere ætatem incidit philosophiæ IONICÆ origo. THALES enim MILESIUS, a quo eam repetere solent, eundem Pherecydem Syrium audiuisse dicitur, a quo profecerat Pythagoras. Hic

\* Hic quoque Thales, postquam sapientiae causa magnam vitae partem peregrinando exegerat, Mileti in patria priuatus & caelebs consenuit, Laërt. I, 25. & tum ciuium, tum Biantis, Pitaci, Solonis, Cleobuli, Mytonis & Chilonis suffragiis primum veluti locum inter Graeciae sapientes obtinuit, Laërt. I, 28. Val. Max. IV, I.

\* Alium Pherecydem a Pythagora, alium a Thalete auditum, veteres quidam tradiderunt. Laërt. I, 119. Sed temporum ratio, vnum eundemque ab viroque auditum, satis euincit.

### §. XLVII.

SUCCESSIT Thaleti in schola Ionica dicitur ANAXIMANDER Milesius, horoscopiorum, sive philosophiae, gnomonis, sciotheris, tabulae geographicae, obliquitatis Zodiaci, & aequinoctiorum usus inuentor obseruatorque Diog. Laërt II, 1. Strabo que ad Georg. Lib. I. p. 7. Plin. Hist. Nat. II, 6. huic ANAXIMANES, de quo Laërt. II, 3. huic porro ANAXAGORAS Clazomenius, qui, ubi sapientiae studio Mens vocari meruerat, Athenis exulare iussus, Lampfaci decessit. Laërt. II, 14. Anaxagoram denique ARCHELAVS, solo Socrate discipulo, nobilis excepit Laërt. II, 16. à quo SOCRATE noua ordianda est Scholae Ionicae periodus.

### §. XLVIII.

Nimirum praeter apophthegmata quaedam & sententias acutiores, quas septem Graeciae sapientibus tribuunt, \* nihil exstat admodum, ex quo hos philosophos philosophiae practicae adpulisse animum, colligere possis.

An philosophiae practicae studuerint?

\* Commendandae de his dictis Io. Franc. Buddei plene bonae frugis *Commentationes*, quae iunctim Halae prodierunt.

### §. XLIX.

Contra physicae tanto se studio tradebant, vt hinc eorum  
B. studium

physi-  
cum.

κατ' ἰσοχίαν nomen *physicorum* apud veteres tulerint. Circa principium rerum omnium \* haec schola quam maxime variabat, Thalete omnia deriuante ex aqua, Plut. *Plac. philos. I*, 3. Anaximandro ab infinitate naturae, Cic. *Acad. Quaest. IV*, 37. Anaximene & Archelao ex aere; Plutarch. *ibid. Stob. Ecl. phys. Cap. I. p. 2*. Anaxagora autem principium rerum omnium statuente homoeomerian, id est vnum & multiplex, partes infinitas, similes, contrarias, tactu continuas, se mutuo sustentantes, neque alio contentas. Lucret. *Lib. I. v. 830. seqq.*

\* Neque tamen ideo pro Atheis habendi. Materiae enim huic eos vsu, mundi effectorem, iunxisse, id est Deum, ex Cic. *de Nat. Deor. I*, 11. & 20. Laërt. *Inst. diu. I*, 5. discimus. Ergo Deus & hic erat anima mundi. Laërt. *I*, 27.

## §. L.

Quaedam  
dam eo-  
rum do-  
ctrinae &  
inuenta

In primis notari meretur, quod hi philosophi daemonibus omnia repleuerint, Stob. *Ecl. phys. I. p. 2*. quod mentis immortalitatem agnouerint, Laërt. *I*, 24. Cic. *Tusc. quaest. I*, 16. quod theorematata ac problemata quaedam geometrica repererint, accurate recensita a Stanl. *Hist. Phil. Part. I. Cap. 7. p. 15*. quod de phaenomenis astrorum, meteoris, aliisque, quae in rerum natura contingunt, quaedam solliciti ingenio inuestigarint, quaedam parum callide coniecerint \* Vnde & *astrologi* nomen Thaleti tribuit Pomp. Mela *Lib. I. Cap. XVII*.

\* Eius generis sunt hae doctrinae Thaletis: Nili exundationem oriri a ventis eteosis, Laërt. *I*, 37. Anaximandri: stellas fixas inferiores esse luna, Stob. *Lib. I. Cap. XXV. p. 53*. deficere solem & lunam ea parte solis & lunae, qua ignis effulget, obturata, Plutarch. *de plac. phil. II*, 24. & similes ipsius Anaxagorae, qui quum reliquis doctior fuisse dicatur, multa

multa statuit, quae hodie tiro philosophorum rideret. Vid. Laërt. II, 9.

## §. LI.

Sed maximum haec philosophia incrementum debet SOCRATI, qui natus Athenis Olymp. LVII, Socratis vita.

4. patre Sophronisco lapidario, matre Phaenareta, obsterice, primum patris artificium addiscere, postea philosophari instituit, auditoque Archelao, non quidem scholam aperuit, sed cum amicis domi forisque colloquutus, eos variis interrogationibus convincere, melioresque reddere conatus est, nihil se scire aut simulans, aut existimans serio. Vid. Stanl. *Histor. philos. in Socrate Cap. IV. p. 113. seq.* Demum ab Anyto & Melitone accusatus atheismi & corruptae iuuentutis, cicutam bibit, non sine magno Atheniensium dedecore. Vid. Laërt. II, 40. Platonis & Libanii *Apologiam Socrat.* Xenophont. *Memorab. Socrat. Carpentarii Vit. Socrat. & libellos similes.*

## §. LII.

Philosophiam professus, primum sophistis, magna promittentibus, & coruos deludentibus hiantes bellum indixit. Liban. *Apol. Tom. I. p. 642.* Deinde philosophiam a laruis, fabulis & superstitionis Deorum cultibus, quibus eam contaminarant Pythagoras & Empedocles, purgare studuit. \* Plutarch. *de Gen. Socr. p. 580.* Denique, quum physicae illae speculationes, quibus Ionici vnice vacauerant, & incertae, & parum vtilis illi viderentur, stolidosque eos crederet, qui illa remota adhaerentes, humana negligant: Xenoph. *Memorab. Socr. Lib. I. Cap. I.* primus philosophiam a rebus occultis auocavit, & ad vitam communem traduxit. Cic. *Acad. Quaest. I, 5.*

\* Alienus ergo Socrates a fanaticismo Pythagorae (§. XLV.) quamuis, quae de genio suo iactare solebat, impossuram sapere videantur, quidquid in con-



trarium disputarit V. C. Gottfrid. Olear. in *Diff. de Genio Socr.* Lips. 1702. 4. Nescio, an ubique sui similibus fuerit Socrates. Sane quoties de hoc genio paullo accuratius cogito, non mirari admodum soleo illa Timonis apud Laërt. II, 19.

*Fluxit ab his legumque loquax, lapidumque politor,  
Graecorum vates, imposturaeque magister,  
Derisor, rhetorque subatticus, & simulator.*

## §. LIII.

Eius doctrinae meta-physicae. Praeclare Socrates philosophabatur de Deo, rerum omnium auctore, Xenoph. *Lib. Memorab. Socrat.* p. 725. de providentia diuina Id. p. 711. & *Lib. IV.* p. 800. & de mentis immortalitate. Plat: in *Pbaedr.* p. 245. At dum apud eundem Platonem in *Pbaedone* p. 72. sequ. mentem praexistere, & in corpus, tamquam carcerem, illabi creditit, eum in Pythagorae castra secessisse, facile patet.

## §. LIV.

Philosophia eius moralis. In primis philosophiam moralem excolebat Socrates, de virtutibusque & vitiis disputabat praecclare, quamvis has doceri posse, negaret. Aeschin. *Dialog. I.* Quin & oeconomicam ac ciuilem prudentiam eum insuper non habuisse, ex Xenophontis *Oeconomico* & eiusdem *Memorabilibus Socratis* factis adparet.

## §. LV.

Vnde illa petenda? Nihil scripsisse Socratem, constans est veterum opinio. \* Quidquid ergo de eius philosophia nouimus, illud omne Xenophonti & Aeschini, genuinis eius discipulis, acceptum ferimus. Plato enim Socrati in dialogis suis quam plurima tribuit, quae illi fortassis in mentem nunquam venerant. Id ipse Socrates de Platone conqueritur apud Laërt. III, 35.

\* Conferenda hic praeceptoris optime de me meriti;  
Got-

Gottfridi Olearii *Schediasma de scriptis Socr. contr. Leon. Allat.* quod habetur in Stanl. *Hist. Philos. Parr. III. Cap. XVIII. p. 198.*

Præcipui tamen ex eius discipulis, qui ipsi novas Sectae veluti familias considerant, sunt *Aristippus*, sectae novae **CYRENAICAE**; *Phaedo*, **ELIACAE**; *Euclides*, schola **MEGARICAE**; *Plato*, **ACADEMICAE**, *Anti-Socratis* **Sthenes** denique **CYNICAE** auctores atque antesignani.

§. LVII.

**CYRENAICAM** sectam condidit **ARISTIP- Cyrenai-**  
**PVS** Cyrenaeus, Socratis discipulus, sed magistro cae origo  
 minus probatus. *Laërt. II, 65. 80. Xenoph. Me- & histo-*  
*morab. Soc. Lib. II. init.* Ad voluptatem enim o-ria.  
 nia referens, hoc principium & doctrina & vita  
 expressit. Mansit tamen schola *Cyrenaica*, vel *He-*  
*donica*, in qua ei successit **ARETE** filia, huic **A-**  
**ARISTIPPVS** Aretes filius. qui & *μυτρ. διδασκ.* di-  
 ctus, *Laërt. II, 85.* & **ANTIPATER**. Illum  
**THEODORVS** atheus, hunc **EPITEMIDES** se-  
 quutus. Quemadmodum vero ille multa innovans,  
 originem dedit sectae **THEODORIAE**, in qua ei  
**BION** successit: *Laërt. IV, 46. sequ.* ita & **EPI-**  
**TEMIDES** quidem Aristippi dogmata ad **PARAE-**  
**BATAM** transmisit, huius autem discipuli, **HE-**  
**GESIAS**, *μυτρ. διδασκ.* dictus, & **ANNICERIS**,  
 eidem sectas **HEGESIACAM** & **ANNICERI-**  
**AM** condiderunt. *Laërt. II, 86.*

§. LVIII.

Ceterum nihil hac philosophia detestabilius. **Sen- Eins do-**  
**fus** stultebant fallaces, &, quidquam certo percipi, **étrinae,**  
 negabant, nisi sensu interiore, puta voluptate &  
 dolore, *Laërt. II, 92. 95. Cic. Quaes. Acad. IV,*  
*7.* eoque sensu reiiciebant indolentiam Epicuri.  
*Laërt. Lib. II. fgm. 89.* Hinc philosophiam natu-  
 ralem plane reiiciebant. *Laërt. II, 92.* In morali  
 summam hominis felicitatem involuptate cor-  
 poris, & praesenti ea quidem, non praeterita aut  
 futura;

futura; positam, esse, docebant, Laërt. II, 87. Athen. Lib. XII. p. 544. corporis facultates facultatibus animi praeferabant, Laërt. II, 90. virtutemque non alio nomine, quam quod voluptatem adferat, laudandam, in se autem & sua natura nec iustum honestumque quidquam esse, nec iniustum & turpe, credebant. Cic. de Offic. III. 33. Laërt. II. 93. 99.

## §. LIX.

Eius discipulorum stultitia.

Huic morosophiae novas lacinias adfuerunt successores. THEODORIANI enim atheismum liberrime professi sunt. Laërt. II. 101. 102. 104. HEGESIAS scripto libro ἀπειρησιών, voluntariam mortem tanta eloquentia commendauit, ut multi se sponte in mare praecipites dederint. Cic. Tuscul. Quaest. I, 34. Valer. Max. VIII, 9.

## §. LX.

Sectae Eliacae origo.

ELIACAE sectae nomen dedit PHAEDO Eliensis, qui nobili ortus familia, quum in pirataum manus incidisset, & ab his lenoni venditus esset, ab Alcibiade & Platone, iussu Socratis, redemptus est. Laërt. II, 105. Socrati ergo ac Platoni vnice carus, illo mortuo, nouam sectam instituit, in qua Plutarchum, Menedemum, \* Afclepiadem successores habuit.

\* Ab hoc schola ERETRIACA dici coepit. Laërt. II, 125.

## §. LXI.

Eliacorum philosophia.

Quamuis vero nullum ingenii monumentum extaret, quod ab his philosophis profectum sit: videntur tamen Socratem pressius imitati. Sane eius exemplo vbiuis differebant de rebus philosophicis, Laërt. II, 130. & vnum esse bonum putabant, virtutem, eamque vnicam Laërt. II, 129.

## §. LXII.

Vt a patria Phaedonis Eliaca; ita a Megara, MEGARA.

GARICA schola nomen tulit. Inde enim oriundus erat EVCLIDES, cui haec secta natales debet. Socratem audiuit tam cupide, ut edicto prohibitus, stolam muliebrem sumeret, quo personato Athenas sibi commeari liceret. Gell. *Noct. Attic.* VI, 10. Magistro priuatus, scholam ipse instituit. in eaque successores habuit *Eubulidem, Alexinum, Euphantum, Apollonium Cronum, Diotorum, Cronum, Stilponem*, & alios, de quibus Laërt. II, 108. *seq.*

## §. LXIII.

Operam praecipue dabant logicae, & hinc philosophorum omnium pugnacissimi videbantur, qui & noua argumentorum genera repperant, Laërt. II, 108. inter quae & *Sorites* & *Ψυδισμοί*, quorum mentio fit in *L. 177. ff. de Verb. sign.* & *L. 83. pr. ff. ad L. Falcid.* Quamobrem & DIALECTICI, ERISTICI, ELENXINI dicti. Quid? quod Diogenes scholam Megaricam non *σχολήν* scholam, sed *χολήν*, *merum fel* esse, dicebat. Laërt. II, 24. In reliquis disciplinis quid statuerint, fere ignoramus. \*

- \* Id tamen patet, a scepticismo & atheismo non fuisse immunes. Hinc curiositatis Diis exosae esse dicebant, quaerere, an Deus existat? Anton. & Maxim. *Serm. XXXVII.* malum aliquod in rerum natura existere, negabant, Laërt. II, 106. quin & motum omnem tollebant, adeoque & ortum rerum & earum interitum. Sext. *Empir. Pyrr. Hyp. III, 8.* Fuere etiam inter eos, qui adfectus extirpandos penitus existimabant, si credimus Senecae *Epist. IX.*

## §. LXIV.

At reliquorum luminibus facile offecit PLATO, Scholae sectae PLATONICAE vel ACADEMICAE Platonicae auctor, qui Athenis genere nobili ortus, & facundia insignis, philosophiae demum animum adplicuit, auditoque Socrate, & itinere ad Aegyptios

B 4

fufce-

incepto, quin & Heracliti ac Pythagorae degustatis dogmatibus, in *Academiae* primum gymnasio, (cuius liminibus inscripserat: *Nemo geometriae ignarus ingreditur*,) scholam nouam aperuit, ac deinde in *Coloneum* migravit. Laërt. III, 5. Relictis operibus quam plurimis, quorum editionem optimam Paris. 1578. Tomis III. excusam, Io. Serano debeimus, senex decessit, Olymp. CVIII, 1.

## §. LXV.

Platonis  
de doctrina  
de crite-  
nis veri-  
tatis.

Genus philosophandi eclecticum \* sequutus, philosophiam solutionem animae a corpore & conuersionem quandam ad ea, quae reuera sunt, & intellectu videntur, definiuit. \*\* In ea primum esse contemplationem; actionem autem ex ea consequi, artem denique differendi utriusque necessariam credidit. Discere item putauit ac reminisci, idque pro criterio veritatis habuit, si memoria cum recente sensu congruat, quod quum raro certum sit, a Socratica *exitu* non admodum fuit alienus. Cic. *Lib. I. Acad. Quaest. Cap. VIII.*

\* Hinc Laërt III, 8. Platonem in his, quae ad intelligentiam pertinent, Pythagoram; in his, quae sensibus obnoxia, Heraclitum; in moralibus Socratem sequutum ait.

\*\* Haec & sequentia ex Alcinoi libello de doctrina Platonica excerptissimus.

## §. LXVI.

Eiusdem  
meta-  
physica.

Praeexistere statuit materiam primam, cuius proprium sit rerum omnium ortus suscipere, & forma omni carere. Huic materiae praefecit Deum, primam rerum causam, quippe qui secundum ideas, id est, eorum, quae secundum naturam fiunt, aeterna exemplaria omnia condiderit. Eum dicit ens aeternum, bonum, verum, ineffabile, incorporeum, quod materiam ab aeterno confusam, in ordinem redegerit, numerisque decentibus, figuris & mensura ita exornarit, ut ignis supremum, terra infi-

infimum, aër & aqua intermedium locum occuparent. Mundo addidit animam, a Deo non factam, sed aeternam, quae omnia moderetur secundum Dei prouidentiam.

## §. LXVII.

Praeter Deum, illum mundi opificem, & daemones & Deos iuniores ex eo emanantes finxit, quibus commissa sit hominis formatio. Corpus humanum animae, id est, partis coelestis, receptamentum credidit, hancque & ab aeterno praecessisse, & immortalem esse eatenus, ut per varia corpora circumacta, & ita veluti purgata, ad Deum redeat. \*

\* Habes hic purgatorium Platicum, ex quo Patres, qui plerumque Platoni adhaerebant, in primis Augustinum, purgatorium suum hausisse, a Pontificiis demum variis scabellis augendum; iam pridem a B. Chemnitio in *Examine Concilii Tridentini* obseruatum est.

## §. LXVIII.

Beatitudo summa ipsi itidem erat *ἡμετέριον τὸ θεῖον*, Eius philosophia (§. XLIV.) ad quam fugiendum quam citissime moralis. Quod ut fieret, virtutes commendabat, *prudenciam, iustitiam, fortitudinem, temperanciam*, quas Platonici in *physicas, ethicas, politicas, purgatorias, purgati animi, theoreticas, theurgicas, diuinas* diuidebant. \* De quibus praecclare Io. Alb. Fabric. in *Prolegom. ad Marini vitam Procli*, editam Hamb. 1700. 4.

\* Ad virtutes *physicas* & *prudenciam* quidem, referebant bonum habitum sensuum, ad *fortitudinem* corporis robur, ad *temperanciam* pulcritudinem, ad *iustitiam* sanitatem. Simulacra virtutis, quae etiam ab animo nondum emendato proficisci solent, virtutes *ethicas*, & si ad reip. bonum comparatae essent, *politicas* adpellabant. Porro si has virtutes mens corporis affectiones effugiens exerceat, eas *purgatorias*.

& si iam scopum suum adsequuta sit, *purgati animi* dicebant. Supremi gradus erant *theoreticae, theurgicae & diuinae virtutes*, quarum hae ad deificationem, illae ad *βαυαρουππία*, seu portentorum editionem, istae ad entusiasmum pertinebant. Vid. *Simplic. ad Epicet. Enchirid. p. 4.*

## §. LXIX.

Tres  
Acade-  
miae.

Successio Platoniorum tripertita est. \* PRIMA academia a Platone ad *Cratetem*; ALTERA ab *Arcefilao* ad *Egesinum*; TERTIA a *Carneade* ad *Clitomachum* porrigitur. In vetere florere *Speusippus*, Platonis ☉ sorore nepos, *Xenocrates*, *Polemo*, *Crates & Crantor*. In media *Arcefilaus*, *Lacydes* Cyrenaeus, *Euander*, *Egesinus*. In noua *Carneades & Clitomachus*, seu *Hasdrubal*, Carthaginensis.

\* *Sext. Emp. Pyrrh. Hyp. I, 33.* etiam *quartam & quintam* addit academias, quarum illam *Philo Larissaeus*, hanc *Antiochus* Ascalonita auspiciatus sit. Sed id nec ipsi hi philosophi agnouere, teste *Cicer. Acad. Qu. I, 4.*

## §. LXX.

In qua re Diuortium inter has academias maximum constituit doctrina de cognitionis humanae certitudine. *Plato*, quum rerum alias sensu, alias intellectu percipi sciret, hunc scientiam gignere statuit, illos, quippe hebetes & tardos, solius opinionis causam esse. *Cic. Acad. Qu. I, 8. IV, 32.* *Arcefilaus* plane nihil scire posse, docuit, quia ipsa rerum natura scientiam non admittat. *Id. ibid. I, 12.* Denique *Carneades* in rebus ipsis veritatem agnouit, at eam ab homine cognosci posse, negauit. *Idem ibid. IV, Euseb. Praep. Eu. XIV, 8.*

## §. LXXI.

Platonici recentiores. Academiarum istarum digladiationes a Christo nato veluti contiguerant. Multi tamen ex eo tempore sequuti sunt Platonem, ex Iudaeis *Philo*; ex Chri-

Christianis patres complures, \* in primis *Infinus Martyr*, *Clemens Alex.* *Ammonius Saccay*, *Origenes*; ex gentilibus Graecis *Plotinus*, *Amelius*, *Porphyrus*, *Syrianus*, *Proclus*, *Marinus*, *Isidorus*, (quamvis hos potius eclecticis fuisse, arbitremur,) & ex Latinis *Apuleius* & *Chalcidius*.

\* Patres a Platonismi suspicione absoluerè conatur P. Baltus dans la *Defense des SS. Peres accusez de Platonisme*, Paris. 1711. 4. & dans le *jugement des E. Peres sur la Morale de la Philosophie payenne*, Arg. 1719. 40. Sed Aethiopem illum lauasse, res ipsa docet. Nec aliunde, quam ex hac mixtura, est Theologia mystica.

## §. LXXII.

Inter Platonis discipulos & ARISTOTELES Scholæ Stagyrita fuit vir subtilissimus, & Alexandri M. peripatetice ohabuisset, ac Lyceum occupasset, Ael. *Var. Hist.* *nigo.*

*III*, 19. Laërt. V, 2. eo mortuo, ibi scholam aperuit, quae, quod ibi deambulando doceret, PERIPATETICA dici coepit, in qua ei THEOPHRASTVS Eresius, STRATO Lampfacenus, LYCON Troadensis, ARISTO Ceus, CRITOLAVS, DIODORVS successere. Quin vbique multis saeculis in Christianorum academiis regnasse Aristotelem, in vulgus notum est. Vide Io. Launoij *librum de varia Arist. fortuna* Paris 1653. 8. & Elsuichii similis argumenti *diatribas de varia Arist. fortuna in scholis protestantium*.

## §. LXXIII.

Aristotelis doctrinas & systema hic tradere nihil Philosophi opus est, quum non modo eius opera in omnium peripatetice phiae compendia vbique occurrant. Id moneo, mi-qualis? rifice vapulare hodie Aristotelem, at ab iis quam maxime, qui illum non intelligunt. Ridicula est eius Physica, mediocris Ethica: Logica, quidquid aliis videatur, accurata, Politica autem & libellus de



de arte poëtica, Rhetorica item, & fragmenta de historia philophorum & de rebus publicis nunquam sua laude defraudanda sunt.

## §. LXXIV.

Peripatetici recentiores. Multum Aristoteli nocuit studium, quod medio aevo ei impenderunt Arabes, & scholastici, a renatis litteris *Andreas Caesalpinus, Piccolomineus, Berigardas, Caesar Cremoninus, Pomponatius*, alii. Sic uti enim illi multis subtilitatibus inquinaverunt doctrinam Aristotelis: ita hi ad atheismum aliasque doctrinas profanas fuere procliviores.

## §. LXXV.

Cynicorum origo. Sequuntur CYNICI, quorum sectam instituit ANTISTHENES Athenientis, qui, quamvis & ipse Socrati operam dedisset, & ob adfectionem vitae durioris non semel esset obiurgatus, *Aelian. Var. Hist. IX, 36*, sectam tamen instituit, occupatoque *Cynsarge* gymnasio, perpetuum suis Cynicorum cognomen reliquit, eo facilius admissum, quo propius ad caninam impudentiam quidam eius sectatorum accederent. \* *Laërt. VI, 13. Suid. in voce. κυνωρυ.*

\* Vnde facile conciliaueris diuersas veterum sententias de origine nominis *Cynicorum*. Antisthenes sane ipse *κυνωρυ* dictus ob mores parum decoros. *Laërt. VI, 13.*

## §. LXXVI.

Philosophi Cynici praecipui. Quamvis vero publici saporis non esset haec Cynicorum philosophia, neque elegantioribus ingeniis placere possent pallium duplicatum, nuditas, pera, lupini, baculus, & reliqua Cynicorum suppellex: sectatores tamen reperit celeberrimos *DIOGÈNEM* Sinopensem, furentem illum Socratem, *MONIMVM*, *ONESICRITVM*, *CRATEFEM*, eiusque uxorem *HIPPARCHIAM*, *METROCLEM*, *MENIPPVM*, *MENEDEMVM*, & alios, quorum elenchum copiosum dedit *Io. Alb. Fabric. Biblioth. Graec. III, 13. p. 360.*

\* Ab

- \* Ab Antonini Philosophi temporibus non magni amplius fiebant Cynici: nec tamen ideo defecit secta, sed diutissime in Africa mansit. Augustin. *contra Academ.* III, 18. & *de Ciuis. Dei Lib. XIV. Cap. XX.*

## §. LXXVII.

Ceterum Cynici, reiecta philosophia rationali & Eorum theoretica, solam excolebant moralem. Finem si-  
bi statuebant independentiam, vel, ut ipsi loquebantur, *libertatem* Laërt. VI, 71. Quum vero libertati illi intrinsecus obflare viderentur vitia, extrinsecus leges ciuiles, statuum discrimen, & iussa tyrannorum: vitia capitalia debellanda putabant coenis Cynicis, nuditate, paupertate voluntaria, & patientia iniuriarum; leges ciuiles statu extrajociali; \* statuum discrimen sublato decoro; iussa tyrannorum pertinacia, &, si res ad rectum rediret, morte voluntaria eludenda putabant.

- \* Hinc illa argumentatio Diogenis: *Sine legibus haud ordinatur respublica. Sine rep. non ullus est usus rei ciuilis. Res ciuilis est ciuitas. Sine ciuitate usus nullus est legis. Lex igitur est res ciuitatis.* Laërt. VI, 72.

## §. LXXVIII.

At quamuis haec procul dubio sublimia quibus Ex Cydam viderentur, & Cynici se Herculis sectatores, nica se- & Iouis speculatores esse crederent: displicuit tanta nata  
Cynicorum illa impudentia ZENONI Citthaeo, est stoica:  
Cratetis primum Cynici, posteaque Stilponis Megarici, hinc Xenocratis & Diodori Croni, postremo Polemonis auditori, qui emendata philosophia Cynica in *porticu varia* (ποικίλη σοφία) philosophiam docuit, originemque dedit sectae STOICORVM. Laërt. VII, 2. 3. 4. 6. 35.

## §. LXXIX.

## §. LXXIX.

Eius in-cremen-  
ta. Ei sectae dici non potest quantum pretii statuerint veteres, non Graeci tantum, sed & Romanorum praestantissimi, ac in primis iurisconsulti, quorum plerosque Stoicos sectari solitos demonstrarunt Em. Merill. *Observ. Lib. I. Cap. VIII. seqq.* & V. C. Euerard. Otto in *Orat. de philosophia Stoica veterum ICtorum*. In schola ZENONI successit CLEAN-  
TES, huic CHRYSIPPVS, huic ZENO Tarsen-  
sis, nec ignoti DIOGENES, ANTIPATER,  
PANAETIVS, POSIDONIVS, alique quorum  
elenchum copiosum contexuit Io. Alb. Fabric. in  
*Bibl. Graec. III, 15. p. 386.*

## §. LXXX.

Stoico-  
rum io-  
gica. Philosophiam Stoicam illustrare coeperunt Iust.  
Lipsius & Casp. Scioppius. \* Eam in *rationalem*,  
*naturalem* & *moralem* diuidebant. Laërt. *VII, 39.*  
Plutarch. *de placit. phil. I, 1.* Et *logicam* quidem  
ad superstitionem vsque colebant, eiusque praece-  
pta Zenoniana, si cui illa cognoscere volupe est,  
reperiuntur apud Stanlei. *Part. VII. in Zenone p.*  
*556. seqq.*

\* Lipsii *Manuductio ad philos. Stoicam & Physiologia*  
*Stoica* inter eius Opera habentur. Scioppii *Elementa*  
*philosophiae Stoicae* Mog. 1606. 8. prodierunt, & saepe  
fallunt doctos, ignaros, esse hanc particulam ma-  
ioris operis vbiuis obuii. Vid. Morhoff. *Polyhist.*  
*Part. II. Lib. I. Cap. IV. §. 2.*

## §. LXXXI.

Eorun-  
dem phy-  
fica. In *physica* primum de *corporibus*, deinde de *prin-*  
*cipiis*, hinc de *elementis*, tum de *Diis*, ac demum  
de *loco* & *vacuo* agebant. Laërt. *VII, 132.* Omnia;  
quae existunt, iis corpora videbantur, adeo vt &  
animam, diem, noctem, vocem, virtutes haberent  
pro corporibus. Plut. *contra Stoic. p. 1884.* Laërt.  
*VII, 55.* Corpus autem definiebant, *quod vel facit*  
*aliquid, vel patitur.* Corporibus originem dede-  
runt

runt principia, agens alterum, *Deus*, alterum patiens *materia*. Laërt. VII, 134. Haec principia vero vno vocabulo vocant *Naturam*, quae ipsis est *Deus* mundo permixtus, \* Lactant. *Div. Inst.* VII, 3. extra quem *vacuum infinitum*, quale in mundo non detur, concipiebant. Laërt. VII. 140. 10. Stob. *Ecl. phys.* p. 38. *Elementa* quatuor ipsis erant, *ignis*, e quo sidera quoque profecta, Cic. *Acad. Qu. II.* 15. *aër*, de cuius regionibus, affectionibus, meteoris parum accurate philosophabantur, Laërt. VII, 151. *seqq. terra & aqua*, ex quarum mixtura mundum genitum dicebant.

\* Hinc alii Stoicis Spinozismum, alii Manichaeismum tribuunt. Vd. celeb. Buddei *Diss. de Spinozismo ante Spinozam* & Christoph. Wolffii *Manichaeismum ante Manichaeos*.

## §. LXXXII.

*Deum* primam esse docebant, Cic. *de Nat. Et theologiae. Deor. II.* 6. 16. 17. deinde eum esse animal immortale, ratione praeditum, perfectum, credebant, Laërt. VII, 147. & quidem naturae igneae, & omnes seminales formas in se continentis. Plut. *de plac. phil.* I, 7. Et hinc de Dei providentia pulchre differabant. At dum mundum & Deum aperte confuunt, Cic. *de Nat. Deor. II.* 8. 14. & utrumque subiiciunt fato fatuo: quis non videt eos *συνωζίζου*;

## §. LXXXIII.

Finem philosophiae *moralis* putabant naturae convenienter vivere, Laërt. VII, 86. id est vivere secundum adpetitiones naturales. Clem. Alex. *Strom. Lib. II.* p. 416. Apperitum naturalem ferri appetunt primum in sui conservationem, Laërt. VII, 85. deinde in bonum. *Bonum* vero esse solam virtutem, *malum* solum vitium, ceteras res *indifferentes*, quamvis *eligibiles* aliae, aliae *reiectioneae*, aliae *perfecte indifferentes* videantur. Laërt. VII, 102. Hinc

Hinc quum virtus sola expetenda, & materia tamen mali origo videretur: perturbationes omnes supprimendas, corpus parce & duriter habendum, quin aliquando, carcerem animae perfringendum, censabant. Ceterum virtutem consequutos solos liberos, sapientes, reges principes esse, id est omnia ex officio facere, \* arbitrabantur. Laërt. VII, 117. *seqq.* Cic *paradox. Stoic.* Lips. *Manud.* III, 13.

\* Hinc Stoicorum doctrina de officiis, quam ex eorum mente optime exposuit Cicero in *libris de Officiis*.

## §. LXXXIV.

Scholae Eleaticae origo. Haëtenus de philosophia *Ionica*: sequitur ELEATICA, quae ab *Elea* vel *Velia*, magnae Graeciae vel Italiae vrbe nomen reperit. Inde enim prodire ZENO Eleates, praeceptorum logicorum inuentor, PARMENIDES, LEVCIPPVS, quamuis hi omnes a XENOPHANE Colophonio profecerint. At celeberrimi in hac schola DEMOCRITVS & HERACLITVS, \* ille Abderita, hic Ephesius, qui, quamuis ingenio diuersissimo fuisse dicantur, omnes tamen corpuscularem sequuti sunt philosophiam, quam postremo ad *anpñ* perduxit EPICVRVS. De Democriti vita & philosophia consulendi praeter Baylium Nic. Hill. in *Philosophia Epicurea, Democritea & Theophrastica*, & Ioan. Chrysof. Magnenus in *Democrito reniuſcente*.

\* Heracliticam sectam diuersam a Ionica, Pythagorica, Eleatica quidam statuunt. Sed corpusculari philosophiae eum dedisse operam, erudite ostendit Gottfrid. Olear. *Diff. II. §. I. seq. de principio rer. natural. ex mente Heracliti*.

## §. LXXXV.

Eius reformatio per Epicurum. Et EPICVRVS quidem, domo Atheniensis, e pago Gargetio, qui magis ex Democriti libris, quam a praeceptoribus videtur profecisse, scholam in hor-

to

to peramoeno, quem coëmerat, instituit, ibique cum amicis communem vitam egit, suauiter viuens, at frugaliter tamen, suosque voce non minus, quam scriptis libris, quorum quamplurimos reliquerat, instituit, decessitque senex, ac tam carus sectatoribus, ut natalem eius festum quotannis haberent. Laërt. X, 19. Plin. *Hist. Nat.* XXXV. 2. Vitam eius praeter Petr. Gassendum accurate contexere Baelius in *Dictionar. Historic. & Crit. T. II.* & Iacob. Rondellus de *vita & moribus Epicuri Amstel.* 1694. 12.

## §. LXXXVI.

Scholam Epicuri in eodem hortulo, quem discipulis in hunc usum cum bibliotheca legauerat, successore post illum HERMACHVS, POLYSTRATVS, DIONYSIVS, BASILIDES. Reliquorum Epicureorum elenchum copiosum satis habes apud Fabric. *Bibl. Gr.* III. 33. p. 808.

## §. LXXXVII.

Quantumvis autem plerisque vapulet Epicurus, Eius mores tamen probauit suo tempore omnibus Philosophiam eius GASSENDVS restituere conatus est. \* Et in *rationali* quidem, quam Epicurus *Canoniam* vocabat, tria statuebat veritatis criteria, *sensationem, anticipationem, & passionem.* De *sensatione* docebat, eam nunquam fallere, omnesque phantasiae perceptiones esse veras, opinionem autem, quae inde nascitur, vel veram, vel falsam esse, prout illi vel suffragetur vel refragetur sensus euidentia. *Anticipatione* ipsa est rei notio seu definitio, ex eaque, si euidens est, ineuidentis rei demonstrationem sumendam putabat. Denique de *passione* proponebat canones: *voluptatem, quae nullam habeat annexam molestiam, amplectendam; molestiam, quae sine voluptate sit, fugiendam, minorem tamen voluptatem propter maiorem negligentiam, minorem molestiam ad auerendam maiorem amplectendam esse.* Laërt. X, 32. seqq.

C

\* Ex

\* Ex veteribus *Diog. Laërtius* in describenda Epicuri philosophia tam est copiosus, ut ipse huic sectae deditus fuisse videatur. Cum eo coniungendi T. LV-CRETII CARI *Libri de rerum natura*, quos luculentio commentario illustravit *Crochius*, fato suo Lucretio similis.

## §. LXXXVIII.

Phyfica:

*Vniuersum* ipsi erat systema ex corpore & vacuo compositum. *Corpus* definiebat, quod tangi possit & tangere; *vacuum*, quod natura tangi nequeat, *Laërt. X, 39. sequ.* cuius existentiam inde probabat, quod, si vacuum non daretur, corpora neque haberent ubi essent, neque ubi mouerentur. *Lucret. Lib. I. v. 336. 427 sequq.* *Vniuersum* sibi concipiebat, tanquam infinitum, & immobile, quia extra illud nullus locus sit, in quo moueatur, ac immutabile, quippe quod ab aeterno tale fuerit. *Laërt. X, 14. sequ.* Deos existere, ex anticipatione (§. LXXXVII.) demonstrabat, *Cic. de Nat. Deor. I, 17.* & eos quidem beatos, immortales, sempiternos, at otiosos, specie humana praeditos, corporeos, esse sibi persuadebat, tertii generis naturaeque rem, praeter corpus & inane mente concipi posse negans. *Laërt. X, 39. sequ.* *Lucret. Lib. I. v. 420.* *Cic. ibid. I, 18. sequ.*

## §. LXXXIX.

Eius  
principia  
de rerum  
ortu &  
attributis.

Quum vero in rerum naturam multa quotidie generentur, & ex nihilo nihil fiat: omnem materiam primam sibi concipiebat, tanquam atomos, *Laërt. X, 38. 56. sequ.* quas *magnitudine, figura & pondere*, non *colore, calore, frigore*, aliisque proprietatibus differre, *Plut. de Plac. phil. I, 4.* *Lucret. II. v. 729. sequ.* & duplici motu, nempe *grauitatis & reflexionis* ferri, & ex quarum concretionem omnia generari, ex earundem dissolutione omnia corrumpi, denique ex earum proprietatibus omnia rerum naturalium phaenomena deriuari, tradidit. *Lucret. I, v. 1020. sequ.*

## §. XC.

## §. XC.

In philosophia morali *finem* omnis vitae tacito Eius phi-  
hominum consensu esse docebat *felicitatem*, Sen. de *Philosophia*  
*Vit. beat. Cap. I.* non *summam* illam quidem, & cui moralis,  
nihil desit, sed *subalternam*. Laërt. X, 128. *seqq.* Eam  
consistere in *voluptate*, Laërt. X, 1288 *sequ.* hanc in *in-*  
*dolentia & tranquillitate animi*, Laërt. X, 136. ac tem-  
perantia aliisque virtutibus parari tradebat. Cic. de  
*Fin. I.* 14. Enimvero dum mentis immortalitatem, Dei  
providentiam, ipsumque numinis metum e Philo-  
sophia sua proscripsit: eum maxima ad virtutem in-  
citantia simul sustulisse, facile patet. \*

\* Et hinc non mirum, quod Epicurei non omnes so-  
brietatem & temperantiam magistri expresserint, sed  
plerique vitam satis dissolutam vixerint.

## §. XCI.

Hi sunt, qui certae cuidam *sectae* nomen dede- Philoso-  
rant, philosophi. Fuere etiam, qui in nullius ver- phi ecle-  
ba magistri iurare ausi, ECLECTICVM philoso- phi ecle-  
phandi genus praeferendum existimarent, quamvis tici,  
hi sectariis philosophorum nomine vix digni iudica-  
rentur. \* Vid. Is. Casauboni *Diatrib. I. in Dion.*  
*Chrysof.*

\* Voss. de *Sect. philos. Cap. ult.* & Menag. ad *Diog.*  
*Laërt. Prooem. segm. I.* existimant, eclecticicos philo-  
sophos a sectariis *Miscellionum* vocabulo traductos  
esse. Enimvero locus Festi in *voce Miscelliones*, cui  
haec coniectura superstruitur, de philosophis plane  
non agit, ceu observavit V. C. Gottfr. Olearius de  
*Eclect. philos. Cap. II.*

## §. XCII.

Quamvis vero omnes fere sectarum auctores, Eclectici  
veluti *Pythagoras, Socrates, Zeno, Democritus, Epi-* antiquis-  
*curus, Plato,* quin & ipse *Aristoteles* eclecticici fuerint, \* simi.  
& ideo plerique tot itinera susceperint, vt, quod  
verum ac scitu dignum occurreret, vndique con-  
qui-



quirerent: praecipuus tamen eclecticae philosophiae auctor fuisse traditur POTAMON. Fabric. *Bibl. Gr. Lib. III. Cap. XXXIII. §. VIII. p. 824.*

\* Non ergo ipsi sectas instituerunt, (si paucos exceperis,) sed discipuli, qui nefas credebant doctorum suorum opiniones deserere. Aristotelis ipsius ea de re sententiam habemus *Lib. I. Ethic. Cap. IV.*

## §. XCIII.

Potamon Fuit iste POTAMON gente Aegyptius, domo  
quis? Alexandrinus, & paullo ante Diogenis Laërtii aetatem, Laërt. *in prooem. segm. 21.* immo ante Augustum, & post eundem, si Suidae *in voce Πουπύμων* credimus, \* floruit, & praeter *στοιχίωσιν*, seu *prima philosophiae elementa*, etiam *Commentarium in Platonis opus de Republica* reliquisse fertur. Vid. Laërt. *ibid.*

\* Diogenis tamen Laërtii sententiam alteri Suidae praefendam esse, iam observavit V. C. Gottfr. Olear. *de Philos. eclect. Cap. I.*

## §. XCIV.

Qui eius Potamonis illius sectatores quaerere absonum foret, (ita enim non essent *eclectici*) at id certum, methodum se-  
dum se- fuerit, eius methodum se praecipue Alexandrinis  
quuti? philosophis, eorumque discipulis, Christianis aequae  
ac paganis, probasse. Olear. *ibid. Cap. I. p. 1205.*

## §. XCV.

Ex paga- Hinc praecipui, qui eam philosophiam colere  
nis. sunt Ammonius Saccas, Christianus, eiusque discipuli pagani Plotinus, Herennius, Origenes, Porphyrius, (*rabidus ille adversus Christum canis*, Hieronym. *in prooem. Catal. scripsit. eccles.*) Iamneobus, Sopater Syrus, Aedesius, Chrysanthius, & Aliqui, qui vulgo *recentiorum Platoniorum* nomine veniunt, veluti Syrianus, Olympiodorus, Proclus, Marinus,  
He-

Hegias, Isidorus, Damascius, aliique plures, de quibus Olear. *ibid.* Cap. III. p. 1209. sequ.

## §. XCVI.

Inter eos, qui Christo nomen dederunt, ecclesi- Ex Chri-  
cae illi philosophiae studuerunt post Ammonium stianis,  
Saccam (§. XCV.) Clemens Alexandrinus, Origenes  
Adamantius, Gregorius Thaumaturgus quos ideo  
singulare quid praec aliis patribus ecclesiae habere,  
iam pridem obseruarunt theologi. Vid. Thom. It-  
tig. *Bibl. Patr. Apost. Tom. II. in prolegom.*

## §. XCVII.

Enimvero, si dicendum quod res est, prudens An hi o-  
quidem his omnibus placuit *εὐλογία*, at ita tamen mnes ve-  
placuit, ut inter reliquos omnes philosophos Plato- ri ecclesi-  
nem potissimum admirarentur. \* Vnde & plerique, ci?  
quos haecenus ecclesiasticis adnumerauimus, inter Pla-  
tonicos quoque locum sibi vindicant. (§. LXXI.)

\* Hoc de ipso *Plotinone* verum est, quem ideo Pla-  
tonis *libros de Republica* commentario illustrasse  
(§. XCIII.) arbitror. Vid. Olear. *ibid.* Cap. II. p.  
1207.

## \* §. XCVII.

Ne fabula morionibus careat, *dogmaticis* hisce Philoso-  
philosophis subiungimus SCEPTICOS, qui & A- phiac sce-  
POMETICI a perpetua dubitatione, & quia nihil pticae o-  
omnino concipi posse existimabant, ACATALE- rigo.  
PTICI vocabantur. \* Natales huius philosophiae a  
PYRRHONE Eleaeo repetunt, Aristoteli aequali,  
qui quum, lectis Democriti libris & variis auditis  
philosophis, in primis Anaxarcho, nihil certi sibi  
reperire videretur, etiam nihil quidquam compre-  
hendij posse, statuit, aut saltim id se statuere, praec  
se tulit.

\* Immo & *Pyrrhonicis* a Pyrrhone, *απειθῆς ἀπὸ τῆς ἐπέχου*, & quia temper suspendebant iudicium, &  
*Zetesici ἀπὸ τῆς ζήτησιν*, quia veritatem semper quae-  
rebant, nunquam inueniebant. Laert. IX, 70.

## §. XCVIII.

Eius se-  
cutores.

Quamuis ergo nihil sit hac philosophia absurdius, quippe cuius non alia erat doctrina, quam quod nihil sciri possit: quamuis etiam *sceptici* toto vitae genere turpiter se darent, risumque vulgi prouocarent: Laërt. IX, 62. *seqq.* eam tamen sequuti sunt non pauci, veluti *Timon*, *Hecataeus Abderites*, *Eurylochus*, *Nausiphanes*, & scepticorum acerrimus doctissimusque *Sextus Empiricus*, cuius scripta ipsa, quibus nihil scire posse contendit, ostendunt, eum permultum sciuisse. Vid. Fabric. *Bibl. Gr. Lib. III. Cap. XXXIII. §. 5. p. 817. seqq.*

## CAP. IV.

DE PHILOSOPHIA MEDII Aevi ET  
NOVA.

## §. XCIX.

Philoso-  
phiae  
scholasti-  
cae ori-  
go.

**I**Ta philosophia in sectas quam plurimas distracta est in *Graecia*. MEDIO AEUO cathedras academicas omnes occupauerat philosophia Aristotelica. Sed quum primum *Arabes* eam in scholas suas recepissent, & Aristotelis opera in suam linguam translata, & commentariis *Auerrhois* & *Auicennae* illustrata, iam pridem praelegissent in scholis Aegyptiacis, Africanis, Hispanicis: sequuti hos Christiani ex illo systemate *Aristotelico* & *Arabico* formarunt nouum chaos philosophiae SCHOLASTICAE. \*

\* Ex Arabicis illis lacunis derivandas esse illas scholasticorum fordes, iam pridem obseruarunt Ios. Scalig. *Epist. CCCLXII. Selden. in Not. ad Eurych. Orig. p. 155.*

## §. C.

**P**raecipui Huius sectae antesignani, PETR. ABAELARDVS,

DVS, PETR. LOMBARDVS ALEXANDER <sup>schola-</sup>  
 AB HALES, ALBERTVS MAGNVS, THO- <sup>flici,</sup>  
 MAS AQVINAS, IO. DVNS Scotus, DV-  
 RANDVS A S. PORCIANO, GUIL OC-  
 CAM & GABR. BIEL non modo fastu schola-  
 stico, \* & male sana curiositate, (§. VI.) sed & ab-  
 sone dicendi docendique ratione cordatoribus ho-  
 die rifum excitant merito.

\* Hinc cognomina ridicula, dum *Halesus* magi-  
 ster *irrefragabilis*, Richardus de Media Villa *auctora-*  
*tus*, Scotus *subtilis*, Bonaventura *seraphicus*, Tho-  
 mas Aquinas, *cherubicus* alii aliter vocati. Vid.  
 Tribbech. *de Doct. Scholast. Cap. VI. p. 152.*

§. CI.

Et tamen hi Doctores *angelici, cherubici, seraphi-* Eorum  
*ci*, non modo vniuersam philosophiam ac theolo- doctri-  
 giam erroribus quam plurimis inquinarunt: verum nac.  
 etiam in philosophiam moralem inuexere facerrima  
 ista principia *probabilismi, methodi dirigendi intensionem, reservationis mentalis, peccati philosophici*, \*  
 quibus Iesuitae etiamnum mirifice delectantur.

\* Conferri hic oportet Lud. Montaltii *Epistolas ad*  
*quendam ex prouincia*, cum iis quae inter se disputa-  
 rant Wendrockius & Stubrockius, Ant. Arnaldi  
*Denunciations haereseos de peccato philosophico*, Thyrsi  
 Gonzalez *tractatum Theologicum de recto usu opinio-*  
*num probabilium*, Antu. 1694. 4. & Io. Franc. Budd.  
*Hist. Iur. Nat. §. XIII. seqq.*

§. XCII.

Et quamuis Lutherus, vt illis scholasticorum Aristote-  
 fordibus ecclesia purgaretur, nihil fecerit reliqui: lis doctri-  
 Seckend. *Hist. Luth. Lib. I. Sect. VIII. n. 10. &* na etiam  
*Addit. VII. Sect. XIII. n. 2. 4. Sect. XXVI. n. 2.* in scholis  
*Sect. LXX. n. 3. Sect. LXXII. n. 3.* tantum tamen prote-  
 abest, vt ex voto ei res successerit, vt nihilominus stantium  
 etiam in Academiis protestantium radices egerit A- radices  
 ristotelica philosophia, alibi mere scholastica, alibi egerit.  
 C 4 vel

vel a Melanchthone, vel ab aliis perpurcata, \* ibique diuissime floruerit.

\* Et Melanchthoni quidem praecipue debetur conseruatio philosophiae Aristotelicae in Academiis protestantium. Bayle dans le *Dictionnaire Historique Critique* sub voce *Melanchthon*. litt. X. p. 1965. Tomo III. Scripsit is compendia plerarumque disciplinarum philosophiae Aristotelicae, quae in Academiis diu regnarunt. Helmstadii tamen & Altorffii ipsum Aristotelem interpretabantur, & interpretes eius Graecos praeferebant Latinis.

## §. CIII.

Philosophi noui, e throno deturbandi. Non desuere quidem varii conatus, Aristotelem qui Aristotelem impugnarunt. *Laur. Valla, Marius Nizolius, Hadrianus Cardinalis, Franc. Patricius*; in Gallia *Petr. Ramus*, & maiore impetu *Petrus Gassendus*; in Germania *Dan. Hoffmannus*: \* sed ad rei summam partem profecerunt.

\* *Laur. Valla* fere vbique ex instituto exagitat Aristotelem, Bayle *Dictionnaire Hist. & Crit.* voce *Valla* litt. H. p. 2792. Tom. IV. Mar. Nizolius potissimum in *Antibarbaro*, quem cum docta praefatione recusum dedit G. G. Leibnitius. Hadriani Cardinalis de *vera philosophia* liber editus, est Colon. 1548. Francisci vero Patricii *Discussiones peripateticae Venet.* 1571. 4. De Petri Rami Thesibus inauguralibus, quibus, nihil omnino, quod Aristoteles scripserit, verum esse, contendit, legendus *Freig. in Vita Rami* p. 9. sequ. de eiusdem *Animaduersion. Aristotelicis* Bayle in *Diction. Hist. Crit.* voce *Ramus* litt. D. p. 2425. Tom. III. Petri Gassendi *Exercitationes paradoxae aduersus Aristotelicos* Tomo III. eius operum occurrunt. Denique de controuersia *Dan. Hoffmanni* cum philosophis *Helmstadiensibus* consulendi sunt Bayle in *Dictionario* voce *Dan. Hoffmann.* Tom. II. p. 1486. & *Arnold.* in *Hist. Eccl. & Haeres.*

## §. CIV.

## §. CIV.

Nec magis philosophiae consuluerunt, qui alii quam ex sectis veteribus fuscitare voluerunt. Nam quam ex quamvis FRANC. GEORGIUS & ante eum IO. PICTVS MIRANDVLA *Pythagoream*; BESSARION Cardinalis & MARSILIVS. FICINVS *Platonicam*; IVSTVS LIPSIUS & CASP. SCIOPIVS *Stoicam*; PETR. GASSENDVS *Epicuream*; BERNARDINVS TELESIVS *Parmenidis* Eleatae philosophiam instaurare conati sunt: \* tamen & horum labor paene irritus fuit, omnesque plausum non adeo magnum retulerunt.

- \* Pertinent huc Io. Pici Mirandulani *Theses seu conclusiones XC.* Romae non sine invidia propositae, in quibus tamen philosophiam Pythagoricam cum Cabalistica coniunxit, quod & fecerunt Reuchlinus & Henr. Morus. Vid. Budd. *Hist. philos. Hebr.* p. 116. De Francisci Georgii Veneti *philosophia* fusc actum in *Obsery. Halensibus.* Bessarion gente Graecus & Marsil. Ficinus adeo pro Platone contendebant, ut paene Christianismum dediscerent. Huius *Opera* prodierunt *Basil.* 1561. *fol. Tomis II.* Et forte in scholas pro Aristotelica recepta fuisset *philosophia Platonica*, nisi Clementem Papam VIII. monuisset Rob. Bellarminus, tanto magis cauendam esse philosophiam Platoniam, quanto propius ad Theologiae Christianae placita accedere videretur. Launoi. *de Var. Arist. fort. Cap. XVII.* De Iusti Lipsii, Scioppij, Gassendi conatibus omnia nota. De Bern. Telesij philosophia, quam *Libris IX. de Rerum natura Neap.* 1586. & *Lugd.* 1588. *fol.* exposuit, & ex Plutarchi libello *περὶ τοῦ πρώτου ψυχροῦ* Tomo II. p. 945. maximam partem desumpsit, videndus Franc. Baco de Verulam. *de philosophia Parmenidis, Telesij & Democriti.*

## §. CV.

Maiorem strepitum dederunt noua philosophorum systemata, quae non modo medio aeuo, Qui noua systemata sed

C 3

minus  
celebria  
excogita-  
runt.

sed & a restitutarum litterarum saeculo excogitarunt RAIM. LVLLVS, FRANC. PATRICIVS, \*PETRVS RAMVS, \*\*HIERON. CARDANVS, † THOMAS CAMPANELLA, † quamuis & hi omnes pauciores sectatores reppererint.

\* Fr. Patricii *Noua de vniuersis philosophia* prodiit Ven. 1593. fol. Sed quamuis eam dedicaasset Gregorio Papae XIV. inquisitorum tamen censuram incurrit auctor. Thuan. *Lib. XCIX. p. 817.* adeoque & philosophia eius parum se probauit.

\*\* Petrus Ramus fere *dialecticam* tantum excoluit. De eius vita legendus Eregius. De eiusdem fatis & controuerfiis Launoi. *de Var. Arist. fort. Cap. XIII.* Bayle in *Dict. Hist. & Crit. voce Ramus p. 2424. sequ.* *Logica Ramistica* in Anglia, Scotia, Germania diu floruit, & Læti praecipue placuit, Keckerm. in *Præcogn. Log. Tract. II. Cap. IV.* & etiamnum aliquo in pretio est Heluetiis. Bayle *ibid. p. 2430.*

† Vitam suam ipse describit *Cardanus.* *Eius Opera*, in quibus fanaticismum pleraque redolent, quae de daemonibus somniis, diuinationibus differit, prodierunt *Lugd. 1663. fo. Tomis X.*

† *Thomae Campanellae* vitam dedit *Ian. Nic. Erythraeus.* Eius philosophiam ex Cardani & Telefii principiis conflatam descripsit Ern. Sal. Cyprianus in *programme de philosophia Tho. Campanellae.*

### §. CVI.

Qui experimen- Plurimum contra philosophia debet viris doctis-  
tis ope- tis, qui experimentis institutis, eam nouis sub-  
ram de- inde inuentis atque obseruationibus locupleta-  
derunt. runt. Sic *circulationem sanguinis* Guil. Haruaeus \*,  
*Venas lacteas* Casp. Asellius, *microscopiorum* vsum  
Corn. Drebbelius, Ant. Leuwenhoekius, Rob. Hooekius, Petr. Borellus, *tubos opticos & circum-*  
*ioniales* Galil. a Galilaeis, *Satellites Saturni* Cassi-  
nus & Huygenius, *maculas solares* Christophorus  
Scheinerus, *specula caustica* Tschirnhauusius, *baro-*  
*metra* Iorticellus; *thermometra* Corn. Drebbelius,  
*antliana*

*antliam pneumaticam* Otto de Guericke, Consul Magdeburgensis, Rob Boyle & alii, *chemiam* Theophrastus Paracelsus, Daniel Sennertus, Rob. Boyle, *anatomiam plantarum* Io. Raius & Marcellus Malpighius, alia huius generis alii inuenerunt, aut inuenta ab aliis perfecerunt.

\* Sed his omnibus fere alii palmam dubiam reddunt. *Circulationem enim sanguinis* perspectam habuisse dicuntur Paulus Sarpus & Andr. Caesalpinus, *microscopia* Ludouicus Septalius, *circumiuiales* Simon Marius, *maculas solares* Leo Allatius, *barometra* Valerius Magnus, Capucinus, *thermometra*, Rob. Fludd, *chemiam veteres Aegyptii* & ex Graecis Democritus, Zosimus, & alii, *specula caustica* Archimedes & Proclus, *tubos opticos* Io. Bapt. Porta, Io. Lippesheimius, Io. Metius, Zach. Iohnson. sciuisse dicuntur. Et fieri sane potest, vt plures eandem rem inueniant, quamuis sibi inuicem parum noti.

### §. CVII.

Nec parum ad incrementa philosophiae contulisse FRANC. BACONEM de VERVLAMIO, Franc. fatendum est, cuius exemplum cum alii, tum socii celeberrimarum societatum scientiarum, *Anglicanae, Parisiensis, Naturae curiosorum, & Berolinensis* sunt sequuti.

### §. CVIII.

At celeberrima recentioribus sunt systemata CARTESIANVM, MYSTICO-CHYMICVM, & quod LEIBNITIVS, NEWTONVS & alii excollere coeperunt, METAPHYSICO-MATHEMATICVM. Et CARTESIANI quidem auctor RENATVS CARTESIVS (des Cartes,) domo Haga Tunensis, gente Gallus, qui audita apud leuitas philosophia, vitaque vaga aliquamdiu acta, demum ad philosophiam animum adplicuit, & in variis Belgii vrbibus & suburbiis latitans, demum scripta sua non sine magno eruditorum plausu edidit,



dit, obiitque Holmiae Suecorum anno MDCL. Id. Febr. Vid. Hadr. Baillet. *Vst. Cartesii.*

## §. CIX.

**Eius sectatores.** Sectatores habuit quam plurimos, quorum praecipui *Henricus de Roy, Dan. Lipskorpins, Hadr. Heereboord, Io. Claubergius, Ant. le Grand, Lud. de la Forge*, quorum studio eo res rediit, vt quauis huic sectae initio acriter se opponerent Theologi & philosophi Belgae; in academiis tamen eorum hodie vix alia, quam Cartesiana, principia inculcentur. \* Enimuero totum hoc sectae studium ipsius magistri principiis repugnare, iam ab aliis obseruatum est. Vid. Fabric. *Bibl. Gr. Lib. III. Cap. VI, p. 183.*

\* Incrementum ibi haec philosophia praecipue debet magni Cocceii discipulis, maxime *Christoph. Wittichio*. Vid. Bayle *Tom. IV. p. 1879.* quibus prudentia quaedam suafit, vt se Cartesianis adsociarent. Sed quum quidam Cartesianismum paulatim ad sua principia detorserint: nata est inter ipsos Cartesianos quaestio de *genuinis & pseudocartesianis*, vnoquoque eorum prius illud nomen adfectante.

## §. CX.

**Eius principia logica.** Ceterum Cartesius, quod ad *logicam* attinet, de omnibus existimabat dubitandum. Ne autem in scepticismum degeneraret illa dubitatio, vnum admittebat principium: *ego cogito, ergo sum*. Quumque de eo ideo dubitare non liceat, quia id clare & euidenter percipiamus, claram illam & euidentem perceptionem pro vnico veritatis criterio habuit. Qua vero via ad claram illam ac euidentem perceptionem peruenire liceat, discipuli eius, & in primis Ant. le Grand & Claubergius scriptis libellis logicis ostendere conati sunt.

## §. CXI.

**Meta-physica.** *Existentiam Dei* Cartesiani probant ex idea entis perfectissimi, quae concipi non possit sine existentia aeterna. Quod argumentum tanquam nonnulli faciunt, vt eam demonstrationem a priore vocare non du-

dubitent. Ruard, Andala *Theol. Nat. Part. I. Cap. II.* Spiritus illis est substantia cogitans, quemadmodum corpus substantia extensa. At, dum ipsam spirituum essentiam quidam in cogitatione consistere serio autumarunt, non potuit non occasio subnasci systematis occasionalis, & ipsius Bekkerianismi. \*

\* Dicendum hic de systemate occasionali & Malebranchio, nec non de Balth. Bekkeri *Mundo fascinato*, eiusque libri fati. Argumentum Cartesii pro existentia Dei iam ab Anselmo, Archiepiscopo Cantuariensi, qui anno MCIX. decessit, inuentum esse; obseruarunt Huet. in *Censura philos. Cartes.* p. 264. Baill. in *Vit. Cartes.* Tom. II. p. 536. seq.

### §. CXII.

In *physicis* trium generum elementa ponit, quae *Physica* in infinitum extensa diuersos vortices constituent, & ex parte in soles & planetas innumeris coaluerint, qui omnes vorticibus suis innatent. Systema mundi ipsi placet Copernicanum: ceterarum rerum naturalium adfectiones, motus, causas ex rationibus mechanicis explicat, idque aliquando tanta solertia, vt omnino laudem mereatur. Nec tamen omnibus probauit sententiam, quod animalia omnia praeter hominem, sensu careant meraeque sint machinae, direttore interno destitutae.

### §. CXIII.

*Moralem philosophiam* vix attigit Cartesius, quam *Moralia* tis in libello *de passionibus animi* quaedam suppeditauerit principia, quibus deinde discipuli \* etiam systema morale superstruxerunt. Sed dum adfectus intellectum adficere existimant, dum summam felicitatem in recto tantum facultatum mentis vsu ponunt, dum virtutem parum commode describunt: procul abesse videntur ab illa cognitione sui ipsius, a quo omnem sapientiam proficisci oportet.

\* Ma:

\* Maxime a quibusdam laudantur Arnoldi Geulinx & Philareti *Ethicae*. Sed priorem non adeo procul abesse a Spinozismo, iam obseruauit Celeb. Thomasc. in *Causel. circa praecogn. inr. Cap. XIV. §. XXXIII. list. y. p. 225. sequ.*

## §. CXIV.

Laus  
Cartesii.

Itaque laude praecipua dignus est Cartesius, qui quamuis non vbique rem acu tetigerit, iugum tamen seruitutis philosophicae excussit, multasque egregias obseruationes reliquit posteris. Sed quemadmodum ipse a sectae studio alienissimus fuit: ita, quod discipuli in eius verba iurant, ei non magis imputandum est; (§. CIX.) quam quidam his principiis abusi in varia opinionum portenta vel saltem in speculationes oppido inanes inciderunt.

## §. CXV.

An Spinozismus ex Cartesii schola prodiisse existimant. Quamuis ex philosophia demonstrata dederit: pantheisimum tamen ille non ex Cartesio didicit, sed domi habuit, quos sequeretur. \*

\* Offendit hoc Waecht. libello: *Spinozismus in Iudenthum*, quamuis postea a se ipso quodammodo disenserit in *Elucid. Cabb. Cap. vlt.*

## §. CXVI.

Philosophi mystico-chemici.

MYSTICO-CHEMICI philosophi in plures quidem familias abeunt. Nam THEOPHRASTVS PARACELSVS, *Fratres rosae crucis. Rob. Flud. Helmontii, Poirretus, Jac. Boehmius, Quir. Kuhlmannus* & alii, qui inter *theosophos* nomina profiterentur, quod ad conclusiones attinet, inter se parum consentiunt. Vid. Godfr. Arnoldi *Hist. Theol. Myß.*

## §. CXVII.

Eorum

Quandoquidem vero id commune habent plerique,

que, quod ex Deo omnia emanasse, & in Deum principia reditura credunt, quod mentem diuinæ essentiae particulam crepant, quod denique ad adflatus extraordinarios sunt procliuiores, & inuisitata mysteria, quin & ipsam *χρησμοποιαν* & medicinam vniuersalem, iactant: non esse hanc philosophiam publici saporis, nemo facile mirabitur. \*

\* Accedit, quod plerique, huic philosophandi methodo adfueti, demum principia quaedam societati humanæ parum vtilia adoptare solent, & vniuersalem statuum omnium emendationem non sine bile adfectant.

### §. CXVIII.

Fuere etiam ex philosophis nouis, qui de scientiis *practicis* Emendandi perpoliendis cum cura cogitatores iurunt. Et *IVRI* quidem *NATVRAE* permultum operæ impendisse triumuiros, *HVGONEM GROTIUM*, *THOM. HOBBSIVM* & *SAM. PUFENDORFFIVM*, \* nemo ignorat. Eos & alii, at non eodem omnes successu, imitati sunt, veluti *Io. Seldenus*, *Lamb. Veltbuisius*, *Christ. Thomasius*, aliique plurimi.

\* *Grotius*, *Hobbesius* & *Pufendorffius* ius naturale deriuant ex principio socialitatis. In eo autem discrepant, quod quisque horum suo vtitur medio termino. Primus enim socialiter viuendum putat, quia id congruat sanctitati diuinæ, *Hobbesius*, ne oriatur bellum omnium in omnes, *Pufendorffius*, quia id exigat voluntas diuina.

### §. CXIX.

Sic & *POLITICAM* alii excoluere, praecipue *Nec non* *HERM. CONRINGIVS*, *IO. HENR. BOECLERVS*, & reliqui, in primis Itali, ad excolendam hanc scientiam veluti a natura facti. Sed quum alii monarchiae nimium deferrent, alii eandem odio

dio plusquam Vatiniano prosequerentur, nata inde sunt monstra pestilentissima. MACHIAVELLISMVS & MONARCHOMACHISMVS.

## § CXX.

Praecipui  
machia-  
uellistae  
& mo-  
narcho-  
machi.

Et illi quidem praeter NIC. MACHIAVEL-  
LVM Florentinum fauent THOM. HOBBSIVS  
& ex Anglis quidam, qui ibi *Highfliers* vocantur, &  
obedientiam passiuam, quam vocant, vrgent; huic  
FRANC. HOTOMANVS, STEPH. IVN.  
BRVTVS, IO. MILTON, IO. ALTHVSIVS,  
RATBODVS SCHELIVS, & ex Anglis tantum  
non omnes, qui ibi *Republicains* adpellantur.

## §. CXXI.

Vtrius-  
que fe-  
ctae prin-  
cipia.

Quemadmodum autem *Machiauellistae* principi  
omnia indulgent, eique vix vllam obligationem er-  
ga ciues imponunt: ita *monarchomachi* realem ma-  
iestatem vindicant populo, principem autem, tan-  
quam populi administrum, ciuium iudicio, quin &  
poenis & suppliciis, temerario ausu subiciunt.

## §. CXXII.

Conclu-  
sio Histo-  
riae phi-  
losophi-  
cae.

Tam numerosa est philosophorum familia, tam-  
que varia inter eos sunt sententiarum diuortia.  
Quinque multi homines, paene stolidi & veritatis  
parum amantes, quin & variis cooperti flagitiis, sa-  
pientiam professi sint, seque ipsos circumtulerint  
inutilis disciplinae exempla: non mirum profecto  
est, iam olim dixisse non neminem, *vix aegrotum  
somniae quidquam tam nefandum, quod non aliquis  
dixerit philosophus.*

# ELEMENTA LOGICAE

## CAP. I.

### DE LOGICAE NATURA ET CONSTITVTIONE.

#### §. I.

**Q**Uum philosophia sit cognitio veri: (Hist. phil. Quid lo-  
§. I) & ad illam cognitionem intellectum gica.  
praeparet LOGICA: (*Ibid.* §. VII.) definiiri ea po-  
test quam optime, quod sit *scientia de inuenienda*  
*proponendaque veritate.* \*

- \* Veritatem autem reperimus vel *meditando*, vel alio-  
rum scripta *legendo*. Ita inuentam veritatem eo mo-  
do *proponere* docendo scribendoque, vt auctor le-  
storque de ea conuincatur, non adeo procliue est.  
Verum id quoque docet Logica.

#### §. II.

Quamuis enim omnes homines, nisi morbo im- Est vel  
pediantur, *recta ratione*, id est, facultate ratiocinan- naturalis  
di, vel veritates alias ex aliis per necessariam con- vel artifi-  
eludendi rationem eliciendi, polleant, (Hist. phil. cialis.  
§. II. \*) & hinc negari non possit, dari logicam NA-  
TVRALEM: inde tamen non sequitur, vt AR-  
TIFICIALIS si negligetuda: quia ars naturam per-  
ficit, & intellectus non solum *facilitate*, sed &  
*promptitudine* ratiocinandi, quin & *methodo* veras  
falsasque ratiocinationes *discernendi* instructus esse  
debet.

- \* Nam & facultate *numerandi* natura gaudet homo;  
& potentia *saltandi*, *canendi*, *loquendi*, *persuadendi*:

D

fleg

nec quisquam tamen dubitat, quin *arithmetica*, *ars* commode *saltandi*, *musica*, *grammatica*, *rhethorica*, sint necessariae.

## §. III.

Eius finis inuentio veritatis demonstratiuae & probabiliis. Quam itaque verum inuenire ac proponere doceat logica, (§. I) veritas autem vel *certa* sit, vel probabilis: (Hist. phil. §. II.) de vtraque sollicitum esse oportet logicum. \*

\* Nec tamen ideo opus est, vt cum Aristotelicis duas distinctas disciplinas, puta *dialecticam* & *analyticam*, fingamus. Vid. Scheibii *Diss. de different. Analyt. & dialectic.*

## §. IV.

Logicae utilitas. Utilitas ergo huius disciplinae in omni genere eruditionis plane admiranda est. Quem enim alium studiorum omnium finem nobis proponimus, quam ut veritatem inueniamus ac inuentam communicemus cum aliis? \*

\* Reprehendendi itaque, & procul dubio a posteritate infamia notandi, qui, vt iuuentutem, olim logicae Aristotelicae tricus iusto diutius inhaerentem, ad utiliora reuocarent, logicam prorsus inutilem esse clamauerunt, eique hoc instrumentum necessarium plane excusserunt e manibus. Sic

*Stulti, dum fugiunt vitia, in contraria currunt.*

Eam stoliditatem ex instituto refellit Iac. Martini in *dem Vernunft-Spiegel.*

## §. V.

Eius inuentores. Hinc illam magna cura olim excoluerunt *Zeno Eleates*, ad quem originem huius scientiae vulgo referunt, (Hist. phil. §. LXXXIV.) \* *Diog. Laërt. in prooem. Segm. 18. & IX. 25. Megarici*, (Hist. phil. §. LXIII) *Aristoteles* (Hist. phil. §. LXXIII.) *Stoici*, (Hist. phil. §. LXXX.) *Epicurei* (Hist. phil. §. LXXXVII.) Sed dum plerique horum non tam in-

DE LOGIC. NATVR. ET CONSTITVTIONE. 51

inueniendae veritatis, quam differendi disputandique methodum ostenderunt: post tantam messem magnum recentioribus spicilegium superfluit. \*

\* Hinc logicae nouae, quas tamen parum commendant principia *de dubitatione*, (Hist. Phil. §. CX) de fallacibus sensibus & similia. Add. Thomaf. *Cautel. circa praecogn. iur. Cap. X. §. 7. sequ.* Dicendum quoque *de Arte cogitandi, Medicina mentis, Specimine ratiocinandi Kufferiano, Logica Clerici, & libellis similibus.*

§. VI.

Nos id operam dabimus, vt optima quaeuis praecepta, quae vel experiuudo didicimus, vel ab aliis tradita accepimus, eo ordine proponamus, qui naturae huius disciplinae nobis videtur quam conuenientissimus. \*

\* Quam commodissimum autem videtur, primo considerare naturam INTELLECTVS humani, deinde naturam VERITATIS, ac demum, *quomodo ea INVENIENDA PROPONENDA*que sit, disquirere.

CAP. II.

DE NATVRA INTELLECTVS HVMANI.

SECT. I.

DE INTELLECTVS OPERATIONIBVS.

§. VII.

Circa veritatem INTELLECTVS; circa bonum *voluntas* magis occupata est. Quum ergo logica tradat rationem inueniendi proponendique veritatem: (§. I.) facile pater, eam doceri non posse, nisi vires intellectus humani eiusque operationes probe perspectas habeamus.

D 2

§. VIII.



## §. VIII.

An den- tur ideae pertes in hoc mundi theatrum prodire, \* & postea innatae? nobis acquirere sensim rerum variarum materialium *ideas*, a quibus deinde & conceptus rerum immaterialium *abstrahimus*.

\* Quid enim de Platonicorum, Cartesianorum aliorumque *ideis innatis* sentiendum sit, infra in philosophia morali (§. XXIV.) exponemus. Qui eas ideas innatas in se tam clare & euidenter sentiunt, exponant mihi velim, cur earum sibi conscii non sint, qui inter feras educati, vel surdi ac muti natura, postea cum hominibus loqui, suasque pristinas cogitationes, si quas habuerint, cum aliis communicare didicerunt. Exempla huiusmodi ex Bern. Connor *Evangelio Medico & Historia Academiæ scientiarum anni c1713cæ III.* deprompta habes in *Act. E-rudis. Lips. 1707. p. 507.*

## §. IX.

Idearum comparatio. Eadem experientia nos conuincit, infantes, vbi paulatim adolefcunt, binas harum idearum, sibi sensu vel abstractione adquisitarum, inter se comparare, ac paulatim eo peruenire, vt & inter tres ideas instituta comparatione, nouas veritates reperiant. \*

\* Sic intellectus se habet, tanquam *arithmeticus*. Quemadmodum enim hac disciplina imbuendus primum numeros simplices comprehendere & eloqui discit per *numerationem*, deinde quo modo bini numeri inter se comparandi sint, per *additionem, subtractionem, multiplicationem* ac *diuisionem*, docetur, ac demum eo peruenit, vt per *regulam de tribus* tres numeros inter se comparare & ex quantitate notam aliam ignotam elicere sciat: ita intellectus primum ideas simplices percipit, e. g. ideam *lunae*, ideam *lucis*, ideam *solis*, ideam *corporum visibilibus*, &c. deinde binas inter se comparat, e. g. *lux corpora reddit visibilia*,

sol

*sol lucet, &c. denique & tribus inter se comparatis ideis dicitur, lucem corpora reddere visibilia, adeoque solem vel lunam, quae idem faciant, lucem esse.* Vidit Thom. Hobb. in libell. de corpore Pars. 1. ab inir.

§. X.

Quando *ideas simplices* acquirit intellectus, PER-Tres incipere; quoties *binas* inter se comparat, IVDI-tellectus CARE; denique, dum *tres* inter se confert, *vel* operatio-*λογιστικῆς* seu RATIOCINARI dicitur. Vnde *tres*, nec nec plures, sunt *intellectus operationes*, \* a quibus recte definitur, quod sit *facultas mentis, quae percipit, indicat, ratiocinatur.*

\* Nec otiosa hæc est quaestio, sed vtilissima, immo totius logices fundamentum.

§. XI.

PERCEPTIO itaque est acquisitio idearum sim- Earum plicium: IVDICIUM idearum binarum; RATIO- definitio. CINATIO trium comparatio.

§. XII.

Neque tamen omnes *ideae* ad intellectum refe- Quid runtur, sed quoties *mens* ideam obiecti materialis imagina- absentis contemplatur, id per IMAGINATIO- tio? NEM fieri dicitur.

§. XIII.

Ea imaginatione *ideae* varias componimus, dis- Quid iu- cernimus, reuocamus, retinemus. Vnde modo dicium, INGENII, modo IVDICII, modo REMINI- ingeni- SCENTIAE vel MEMORIAE nomine venit. \* um, me- moria?

\* Quae facultates quatenus diuerso gradu in homine mixtae sunt, non vnam dant hominum INDO- LEM, quae praedominante iudicio *erudita*; inge- nio, *aulica & militaris*; memoria, *vulgaris* non incommode a nonnullis vocari solet.

§. XIV.

An omnia quae concipi-  
mus existant? Et ea quidem, quae componit *ingenium*, non semper re ipsa existunt. Possem enim facile in mente coniungere ideas *aurei* & *montis*, & mihi formare imaginem *montis aurei*, qui tamen extra cogitationem non existit. Eiusmodi ideae vocantur CHIMAERICAE vel ENTIA RATIONIS.

§. XV.

Quae sint non entia. Ex quo tamen patet, haec *entia rationis* non confundenda esse cum NON ENTIBVS, quae plane non sunt obiecta mentis, de quibus quippe nihil cogitari potest. Sic *circulus quadratus* est non ens, quia de eo ne cogitari quidem quidquam potest.

§. XVI.

Quae optima in-  
doles sit  
philoso-  
phi? Quum itaque, quae componit ingenium, non semper vere existant: (§. XIV.) iudicio opus est, quod rem ab umbra, chimaeram ab ipsa re, & attributum ab attributo accurate discernat. Hinc quo rectius est hominis iudicium, eo magis ad veritatem inveniendam aequae ac proponendam idoneus erit. \*

\* Hinc patet, cur *indolet erudita* dicatur, sicubi praedominatur iudicium (§. XIII. \*) Et cur non temere fallant axiomata: *Magna ingenia habent aliquid admixtum stultitiae*. Item: *Memoria nimis capax raro est cum iudicio accurato coniuncta*. Sunt tamen, qui omnibus facultatibus pollent in gradu eminentiore, quibus veteres *ingenia heroica* tribuebant.

§. XVII.

Cur intel-  
lectus  
non sem-  
per veri-  
tatem ad-  
sequatur. Quamvis itaque intellectus permultis, iisque egregiis polleat facultatibus ac operationibus, id est, ratione: (Hist. phil. §. II.) negari tamen nequit, eum non semper reperire veritatem, cuius rei causa sane non in intellectu, sed in voluntate quaerenda est.

§. XVIII.

Praeci- Quum enim raro velit homo res, de quibus cogitat,

gitat, accuratius contemplari: sed vel aliorum auidia  
 et oritate totus nitatur, vel vaga & superficialia me-  
 ditatione contentus sit: aciem intellectus praeter errorum  
 gunt *praeiudicia AVCTORITATIS & PRAE-  
 CIPITANTIAE*, quae rectae rationi veluti tene-  
 bras offundunt. (Hist. phil. §. II.)

§. XIX.

*Praeiudivium AVCTORITATIS* est falsa opi- Quid  
 nio: qua vnius sententiam, quamvis nunquam ex-  
 pensam, ob personae qualitates recipimus, alterius  
 reiicimus. \* *Praeiudivium PRAECIPITANTIAE*  
 est falsa opinio, qua sententiam nec accurate nec  
 ordine a nobis expensam, tanquam veram adsumi-  
 mus reiicimusue. \*\*

\* Praecipue huc pertinet *praeiudivium religionis, anti-  
 quitatis, novitatis, honoris, famae, probitatis*, qui-  
 bus plerumque a puero inbuimur.

\*\* Huc referas etiam *praeiudivium receptae hypotheseos,  
 veritatis quasi possessae*, quo maxime pontifici tuigent,  
*spiritus contradictionis*. &c.

§. XX.

Haec autem *praeiudicia* non temere quisquam Quomo-  
 euellet animo, nisi ordine instituat meditationem, do animis  
 idque agat praecipue, vt claras, distinctas, adae- euellen-  
 quatas rerum ideas sibi formet. Quod quo pacto da?  
 fiat, paulo accuratius erit considerandum.

SECT. II.

DE PERCEPTIONE, VEL IDEIS.

§. XXI.

*IDEA* est obiecti cuiusvis genuina imago, quam Ideae  
 mens immediate contemplatur, vel, est quaeiibet quid?  
 de re quavis cogitatio

§. XXII.

Quum autem res sint vel *materiales vel immate-* Quotu-  
*riales*: illarum ideas *SENSIONE*; has *ABSTRA-* plices?  
 CTIO-

56 ELEM. LOGIC. P. I. CAP. II. SECT. II.  
CTIONE, & CONSCIENTIA adquirimus. \*

\* Sic e. g. si quis viso tactoque adamante, qui in Magni Hetruriae Ducis tiara fulget, imaginem istius adamantis mente circumfert, ideam istam adquisiuit *sensione*, si deinde ex illo cogitationem format de adamantum figura, magnitudine, splendore, durtie, vel de adamante generatim, iam ideam hanc formasse sibi dicitur per *abstractionem*. Contra ubi quis aliquando sentit tristitiam, ex eaque sensione interna sibi ideam istius adfectus format, hanc *conscientia* adquisiuisse dicitur.

§. XXIII.

Quid experientia? Incipit ergo cognitio omnis a sensione, quarum modis, attributaque addiscimus, ac discernimus accurate. Ea ubi saepe & sub diuersis circumstantiis est repetita, EXPERIENTIA vocatur, quae nihil aliud est, quam *sensionum semper sibi similiarum memoria*. \*

\* Itaque experientia non demonstratur, sed sensione constat, at si quis ex hac experientia aliquid concludit, probare tenebitur, se recte esse ratiocinatum. Ita e. g. *solem aliquando maculis obduci*, probare non teneor, sed casum tantum narrare, quo hoc obseruatum sit. At si quis inde colligeret, *solum esse metallum aliquod liquidum, cuius scoriae aliquando emergentes has maculas in superficie efficiant*, demonstratio illi incumberet, se recte esse ratiocinatum.

§. XXIV.

An sensus sint fallaces? Ne ergo fallat experientia, ea adhibenda est cautio; vt sensoria organa sana sint, vt quod medium est inter organum & obiectum, recte se habeat, vt attenda sit mens, & rem in iusta distantia vel adhibitis idoneis instrumentis. exploret. Quibus obseruatis, tenenda regula: *Sensus, positus omnibus ad sentiendum requisitis, non fallunt*. \*

\* Sqa

- \* Sua itaque opinione falluntur qui ita inferunt. *Sensus aliquando fallunt: ergo semper fallunt.* Prona enim ad scepticismum via est persuasio, quod sensibus decipiamur.

## §. XXV.

Ex hac itaque experientia formamus nobis ideas, Quotumque vel CLARAE vel OBSCURAE sunt. *Clarae*, quando ita rem concepimus, ut quoties ea mihi iterum occurrit, eam statim agnoscam, & ab aliis discernam facillime. *Obscurae* quoties ideae meae non ita comparatae sunt, ut res iterum occurrentes statim agnoscere & distinguere ab aliis possim. \*

- \* Ita lunae *claram ideam* unusquisque etiam ex plebe habet, non item *Iouis, Veneris, Martis, Saturni*, quas stellas plebeius facile cum stellis fixis confundet. Ergo hanc ideam obscuram admodum esse, facile patet.

## §. XXVI.

*Clarae* ideae iterum vel DISTINCTAE sunt, vel CONFUSAE. *Distinctae*, quoties res ita concepimus, ut certa indicia vel certas notas, quibus illae occurrentes distinguere ab aliis possim, in numero habeam. *Confusae*, si res occurrentes distinguere, at indicia, vel notas, quibus distinguam, ostendere ac enumerare non possim. \*

- \* E. g. quomodo sciam, triangulum ab aliis figuris numero linearum, quibus inclusum est, distinguere posse: eius non modo *claram*, sed *et distinctam* habere ideam dicor. At colorem flavum a nigro satis quidem possum distinguere, non autem ostendere indicium, per quod distinguam. Itaque haec idea *clara* quidem sed *confusa* est.

## §. XXVII.

Denique *distinctae* ideae ADAEQUATAE dicuntur, quoties non modo rem eiusque notas in numero habeo, sed & harum ipsarum notarum, in adaequatae quae adaequatae?

D s

quae illam distinctam notionem ingrediuntur, ideam distinctam habeo. Quod ubi secus se habet, idea *distincta* quidem, sed INADAEQVATA est. \*

\* Sic e.g. notae, quibus ignem ab aliis materiis discerno, sunt lux, calor, potentia incendendi, soluendi &c. Harum rerum omnium si quis habet ideam distinctam, notionem ignis *adaequatam* habebit: si minus; *inadaequatam*. Debemus hanc doctrinam Leibnitio, qui eam proposuit in *Actis Erud. Lips. ann. MDCLXXXIV. p. 537. seqq.* eamque deinde sequutus est V. C. Christ. Wolff. *Logic. Cap. I. §. IX. seqq.*

§. XXVIII.

Quae simplices? quae compositae? Deinde ideae vel SIMPLICES sunt, in quibus nihil mente diuidere possumus, quales fere omnes perceptiones colorum, sonorum, odorum: &c. vel COMPOSITAE, in quibus varia separare & diuidere licet per abstractionem mentis. (§. XXII.) e.g. in idea adamantis separatim considerare possum figuram, durtiitiam, magnitudinem, splendorem, quantitatem, &c.

§. XXIX.

Earum natura. Quum itaque in ideis simplicibus mente diuidere nihil possimus; (§. XXVIII.) consequens est, 1) vt nec notas, quibus agnosci & ab aliis rebus distinguui possint, enumerare liceat, adeoque 2) illae ideae clarae quidem, sed non distinctae sint. (§. XXVI.) 3) Vt haec omnia secus se habeant in ideis compositis.

§. XXX.

Quid ideae substantiarum, modi, relationum? Praeterea ideae vel sunt SVBSTANTIARVM, vel MODORVM, vel RELATIONVM. *Substantiae* sunt, quae per se & seorsum subsistunt: \* *Modi*, adfectiones & attributa, quae in substantia occurrunt, & ex iis mente abstrahuntur. *Relationes*, ideae, quarum vna ad alteram se refert, vt altera sine altera intelligi nequeat, vel, vt vnus

vnus consideratio considerationem alterius inuoluat.

- \* Pessime ergo Bened. Spinoza substantiam definit *ram a se subsistentem*. Vnde totum pantheismi systema, vni huic factae definitioni inaedificatum, sua mole ruit.

### §. XXXI.

*Substantiae cogitantes* dicuntur SPIRITVS; non Earum *cogitantes* CORPORA. Deinde *Modi*, si in ipsa subdiuisi-  
substantia occurrunt, INTERNI, sin in hominis siones.  
mente sunt, & substantiae tamen tribuuntur, EX-  
TERNI vocantur. \* *Relationum* denique tot sunt  
species, vt vel earum numerum inire sit difficillimum. \*\*

- \* Sic quando linea vocatur recta: rectitudo inest lineae, tanquam modus *internus*. At vbi virtus magni aestimata dicitur: ea aestimatio non inest virtuti sed menti eius, qui tantum virtuti pretium statuit.

- \*\* Ex instituto ea de re agit Io. Cleric. in *Logica Part. I. Cap. IV. §. 11. seqq.* & in *Art. Crit. Part. II. Sect. II. Cap. IV.* Praecipue relationes elucet in quantitatibus. Vnde vanae plerumque disputationes de *magnitudine, multitudine, diuturnitate, grauitate, pulcritudine*, &c. nisi de fundamento relationis, id est, de mensura, ad quam istae ideae exiguntur, satis constet.

### §. XXXII.

Ex his inferimus, 1) nos substantias ipsas non Et natu-  
cognoscere. 2) Quo plures in substantia modos no- ra.  
uimus, eo magis nos rei naturam intelligere. 3)  
Haut parum errare, qui de idea relatiua aliquid ab-  
solute adfirmant vel negant, nec fundamentum re-  
lationis rite expendunt. (§. XXXI. \*)

- \* Quae observatio quantae vtilitatis fit ad euitandas  
*λογωμαχίας*, quibus & adfectus tristiores sedandos,  
dici



dici non potest. Sic multi se pauperes esse dolent, quum nulla re necessaria indigeant. Et cur vero, nisi quod fundamentum relationis ponunt homines admodum diuites, quibuscum comparati, sibi pauperrimi videntur? Eleganter Seneca in *Troad.* v. 1016.

*Ferre, quam sortem patiuntur omnes,  
Nemo recusat,*

*Nemo se credit miserum, licet sit.*

*Tolle felices, remoueto multo*

*Diuites auro, remoueto, centum*

*Rura qui sciunt opulenta bubus:*

*Pauperi surgent animi iacentes.*

*Est miser nemo, nisi COMPARATVS.*

## §. XXXIII.

Quid ideae singulares, particulares, vniuersales?  
Porro ideae aliae nobis rem ipsam sistunt, in *indiuo*, e. g. *Alexandrum*: aliae, quod res cum aliis *quibusdam* commune habet, e. g. *regiam eius dignitatem*: aliae, quod res cum *omnibus* eiusdem naturae commune habet, e. g. *humanitatem*. Primi generis ideae SINGVLARES; secundi, PARTICVLARES; tertii VNIVERSALES adpellantur.

## §. XXXV.

Quae vniuersalia seu praedicabilia?  
Vniuersalis idea, quae varias sub se particulares, complectitur, vocatur GENVS: particulares, quae sub vniuersali comprehenduntur, & innumera sub se habent indiuidua, SPECIES; idea vniuersalis, quae primario ad essentiam rei pertinet, & qua res a re distinguitur, DIFFERENTIA; \* quae secundario, PROPRIVM; quae rei quidem inest, sed ita vt ad eius essentiam nihil faciat, eaque salua vel adesse vel abesse possit, ACCIDENS dici solet.

\* Quae differentia genus a genere discernit, GENERICA; quae speciem a specie, SPECIFICA; quae indiuiduum ab indiuiduo NYMERICA audit.

SECT.

## DE DEFINITIONIBVS ET DIVISIONIBVS.

## §. XXXV.

Qui sibi ideas rerum, distinctas & adaequatas adquisiuit: ei iam facile erit, res non modo describere, sed & definire, & dividere. Quibus sane instrumentis, carere non potest, qui veritatis inuestigandae studio tenetur. \* Et DEFINITIO quidem est *propositio rem ita determinans, ut ab aliis omnibus semper distingui possit.* Quid definitio.

- \* Si enim *distinctam* habemus ideam, rem DEFINIRE possumus. (§. XXVI) Si *adaequatam*, nihil facilius erit, quam eam DIVIDERE (§. XXVII.)

## §. XXXVI.

DESCRIPTIO a definitione ita differt, quod licet utraque vera sit, illa tamen rei non nisi *certis* scriptio & *sub circumstantiis*, haec *semper* competat. \* Quid descriptio?

- \* E. g. si dico, *horologium* esse machinam argenteam, quae iam ex catenula in pariete musci mei sub speculo pendeat: illud tantum *describo*. Sin dico, esse machinam ad horas vel sono vel stilo indicandas comparatam, illud *definio*. Quod enim ex catenula pendet horologium in pariete, *aliquando*; quod ad horas indicandas comparatum est, *semper* ei competit, quamdiu manet horologium.

## §. XXXVII.

Quum ergo DEFINITIO semper competere debeat rei: (§. XXXVI.) consequens est, ut primo id, quo cum aliis eius naturae rebus conuenit, ac deinde ideam, quae ad essentiam rei primario pertinet, & qua a reliquis omnibus distinguitur, comprehendere debeat, adeoque constare ex GENERE. Definitio nis partes.

RE & DIFFERENTIA SPECIFICA (§. XXXIV.) e. g. *Triangulum est figura tribus lineis circumscripta.*

## §. XXXVIII.

Quid definitio nominata? Quod si itaque differentiam illam specificam defumo a nota aliqua, qua rem mihi obuiam ab aliis omnibus semper discernere possim, definitio illa dicitur NOMINALIS. e. g. *Circulus est figura, cuius peripheria a centro ubique aequaliter distat.*

## §. XXXIX.

Quid realis? Sin differentiam in eo pono, vt ostendam modum, quomodo illa res oriatur, vel quomodo possibilis fit, definitio REALIS emerget. e. g. *Circulus est figura, quae radio circa punctum circumactò describitur.*

## §. XL.

Definitionis bonae virtutes. Ex quibus facile patet, 1) definitionem non debere esse negatiuam, quia ita res a re non distinguitur per ideam, quae ad essentiam pertinet. (§. XXXVII.) 2) Eandem nec latiore, nec angustiore esse oportere suo definito, sed cum illo reciprocari debere; \* quia alias rem non determinaret. (§. XXXV.) 3) Eandem constare debere verbis propriis, perspicuis, aut certe iam antea definitis.

\* Hinc si quis circulum definiret *figuram lineae curuae inclusam*, procul dubio vitio inligni laboraret haec definitio, quia reciprocando dici nequit, figuram lineae curuae inclusam esse circulum, siquidem & ovalem figuram aliasque complectitur.

## §. XLI.

Quomodo definitiones? Ceterum definitiones aut *experiundo* reperimus, si in re quavis iusta attentione consideremus, quid cum aliis commune, quidue proprium habeat, vel per *abstractionem*, circumstantias quasdam *omittendo*, vel easdem *mutando*, vel nouas quasdam *addendo*. \*

\* E.

\* E. g. Dum video, duos homines emtionem venditionem inire, satis experior, hunc contractum id commune habere cum aliis, quod contrahentes conuenire vel consentire debeant, id vero proprium, quod consentiant in rem, quae in commercio est, pro certo pretio in pecunia numerata consistente transferendam. EXPERIENDO ergo inueni definitionem: emtionem venditionem esse conuentionem de re, quae in commercio est, pro certa pecunia transferenda. Iam si OMITTAM circumstantiam pecuniae, habeo definitionem contractus in genere quod sit conuentio de re, quae est in commercio, transferenda. Si MVTO circumstantiam pecuniae & fingo rem gratis transferri, habeo definitionem donationis. &c. Si denique circumstantias aliquas ADDO, veluti quod res transferatur ea lege, ut elapso certo tempore refusoque pretio restituatur, emerget definitio restitutionis.

## §. XLII.

Quando definitio *experiendo* reperitur, vel ab e- An sem-  
 fusmodi definitione hoc modo reperta *abstractur*: per, quod  
 rem definitam existere, negari nequit: at quoties defini-  
 cumque definitio *mutando addendone* circumstantias mus, ex-  
 inuenta est, demonstrandum est, rem existere, quia fiet.  
 & entia rationis hoc modo possunt definiri. \*

\* Hinc e. g. quia experiendo didici, *montem esse partem terrae exsantiorem particulis heterogeneis compositam*: certissimus esse possum de montium existentia. At si *mutem* circumstantiam, & mihi concipiam *partem terrae exsantiorem ex moris particulis aureis compositam*, habeo quidem definitionem montis auri, qui tamen fortassis non existat in rerum natura.

## §. XLIII.

Ex quo inferimus 1) definitiones prioris generis Quando  
 vere esse fundamentum demonstrationis veritatisque definitio-  
 reperiendae: 2) definitiones posterioris generis ta- nes sint.  
 le funda-

mentum le fundamentum non praebere, nisi prius definiti  
demon- existentiā demonstrata sit. \*

\* Recte hoc vidit Cl. Wolffius in *Introduct. ad Method. Mathem.* §. XXI. *seqq.* Et ex eo patet, quid sentiendum sit de demonstratione existentiae Dei ex idea entis perfectissimi.

## §. XLIV.

Quid di- Quum vero ad inuestigandam veritatem praecipue  
uisio? vtile sit, ideas habere *adaequatas*, (§. XX.) eas autem  
acquirere nequeam, nisi & notarum omnium,  
quae illas ingrediuntur; distinctas ideas habeam:  
(§. XXVII.) ad eas viam expeditissimam munit DI-  
VISIO, quae est *ideae vniuersalis in plures particu-  
lares solutio.*

## §. XLV

Quomo- 1) TOTVM ergo diuiditur in *partes*; 2) GE-  
do diui- NVS in *species* subordinatas; 3) SVBIECTVM  
dendum in sua *accidentia* seu *modos*; 4) ACCIDENS per  
fit? sua *subiecta*; 5) EFFECTVS per suas *causas*, 6)  
CAVSSA per suos *effectus*; 7) QVALITAS per  
sua *obiecta*. \*

\* PRIMAE exemplum esto: Templum Hierosolymitanum diuiditur in *atrium, sanctum, & sanctum sanctorum*. SECVNDAE: Animal est vel *homo*, vel *brutum*. TERTIAE: Homines vel *docti*, vel *indocti*. QVARTAE: Bonum est vel *animi*, vel *corporis*. QVINTAE: Scriptura sacra vel *prophetica* est, vel *apostolica*. SEXTAE: Verbum Dei aliud peccata arguit, vt *lex*, aliud peccatores erigit, vt *euangelium*. Denique SEPTIMAE: Amor est vel *Dei*, vel *sui ipsius*, vel *proximi*.

## §. XLVI.

Membra Non solum autem res diuidendae, sed & mem-  
diuisa ite- brorum discrimen per *novas definitiones*, easque op-  
rum defi- positas ostendendum est. \* Vnde hic etiam negati-  
nienda, uae

nae definitiones ferendae, quae alias in vitio ponuntur. (§. XL, 1.)

\* E. g. Icti res diuidunt in *corporales* & *incorporales*. Recte. Illas definiunt, *quae tangi possunt*; has, *quae tangi non possunt*. Id quoque recte. Nam sic oppositae definitiones differentiam statim ostendunt. At si res *corporales* describerem, *quae tangi possunt*; *incorporales* autem, *quae in iure consistunt*, vera quidem esset definitio, sed non opposita definitioni rerum corporaliū, adeoque nec perspicuam redderet diuisionem.

§. XLVII.

Ex qua diuisionis natura ac indole sequitur, 1) Regulae  
vt membra diuisionis debeant exhaurire totum bonae di-  
diuisum: (2) Vt membra esse oporteat disiun- uisionis.  
cta, nec vnum in altero contineri: 3) Vt in tot  
membra dirimenda sit idea, quot ipsa natura suppe-  
ditat: \* 4) Vt ante diuisionem idea diuidenda ab am-  
biguitate liberanda sit: (5) Vt non *diuisio*, sed *di-*  
*stinctio* dicenda sit, quae non rem in suas partes di-  
uidit, sed tantum vocabuli diuersas significationes  
discernit.

\* Hinc facile patet, quam vana sit Ramistarum regula de *Dichotomis*. Quasi enim anatomici male diuidant corpus humanum in tres ventres, *supremum*, *medium* & *infimum*, & rectius duos fingant, quum ipsa natura tres constituerit.

§. XLVIII.

Quae de diuisione monuimus, eadem & de sub- Quid de  
*diuisionibus* intelligenda, quamuis danda sit opera, subdivi-  
ne subdivisiones praeter necessitatem multiplicemus. sionibus  
Quo magis enim magnum saxum in puluerem se-  
catur, eo minus eius magnitudinem animo com-  
prehendimus. \*

\* Recte Seneca *Epist. LXXXIX. Diuidi illam, non*  
E cor-

*concedi, utile est. Nam comprehendere quemadmodum maxima, ita minima, difficile est. Describitur in tribus populis, in centurias exercitus. Quidquid in maius crevit, facilius agnoscitur, si discessit in partes: quas, ut dixi, innumerabiles esse & parvas non oportet. Idem enim vitii habet nimia, quod nulla divisio. Simile confuso est, quidquid usque in puluerem sectum est.*

## SECT. IV.

## DE IUDICIIS ET PROPOSITIONIBVS.

## §. XLIX.

Quid iudicium? **Q**uando mens binas ideas, accurate perceptas, inter se comparat, easque vel componit vel diuellit: nascitur inde IUDICIUM. (§. XI.) Iudicium autem verbis expressum PROPOSITIO vel ENUNCIATIO adpellatur.

## §. L.

Propositionis partes seu termini. Quum itaque iudicium binas ideas inter se comparat: (§. XLIX.) consequens est, vt omnis propositio constet SVBIECTO & PRAEDICATO, quos terminos inter se iungit COPULA EST, quamuis haec aequae, ac subiectum, saepe in praedicato latet, adeoque tota propositio vno vel binis vocabulis constet, e. g. *Terra mouetur, perii, nigris, pluit.*

## §. LI.

Quid subiectum? SVBIECTVM est, de quo aliquid enunciat, praedicatum? PRAEDICATVM, quod de illo enunciat, copula? COPULA, quae relationem inter subiectum & praedicatum, seu, quomodo se inuicem habeant, indicat.

## §. LII.

Propositio vel affirmatiua vel negatiua. Qui ideas duas inter se comparat, eas aut *inungi* posse iudicat, aut easdem *separandas* existimat. (§. XLIX.) Priore casu propositio dicitur ADFIRMATIVA; posteriore sensu NEGATIVA, cuius

ius signum est negatio NON, ad copulam referenda. \*

- \* Si enim negatio NON ad subiectum vel praedicatum referenda, propositio non est *negativa* sed *infinita*, quae vere affirmatiua est. e. g. *Non assente res considerans decipitur. Iudaei sunt Lo-ammi i. e. non populus meus.*

§. LIII.

Quemadmodum porro iudicantes facile animadvertunt, praedicatum aut semper huic subiecto conuenire, vel disconuenire, aut aliquando tantum & sub certis circumstantiis: ita priore casu propositiones VNIVERSALES; posteriore PARTICULARES emergunt. SINGVLARES enim, quae aliquid de indiuiduo enunciant, loco vniuersalium sunt. \*

Item vel vniuersalis, vel particularis vel singularis.

- \* Aliquando enim ratione materiae imitari solent propositiones *particulares*, quoties nimirum praedicatum non toti indiuiduo, sed eius parti conuenit. Sic vniuersali similis est propositio: *Socrates vixit*; particulari: *Socrates fuit sapiens, Socrates cicutam bibit.*

§. LIV.

Aliquando non modo iudicamus, praedicatum subiecto conuenire, vel non conuenire: sed & modales, quod vel conueniat, vel non conueniat, definimus. Et tunc propositiones dicuntur MODALES, quales modi sunt quatuor: *Necesse est, contingit, possibile est, impossibile est.* \*

- \* E. g. *Necesse est, oculum, positis ad videndum requisitis, videre. Contingit, ut oculus bene adfectus non videat. Possibile est, circulum quadrari. Impossibile est, ut duo sint entia infinita.* De his tenendae regulae: 1) Propositiones necessariae fundamentum sunt demonstrationis firmissimae & directae. 2) Impossibiles dant demonstrationem indirectam, quam &



mathematici aliquando non negligunt. 3) Reliquae propositiones, si de demonstratione *veri* quaeritur, raro aliam, quam probabilem veritatem suppeditant, quia non statim, quod contingit, aut possibile est, etiam actu est.

## §. LV.

Item exponibiles. Addunt etiam propositiones **EXPONIBILES**, quarum alias **EXCLUSIVAS** vocant, veluti: *Sola fides iustificat*: alias **EXCEPTIVAS**, e. g. *Omnis possessio, praeter virtutem, est incerta*: alias **RESTRICTIVAS** e. g. *Episcopus, qua princeps, gaudet iure gladii*: alias denique **COMPARATIVAS**, e. g. *Mens est corpore praestantior*.

## §. LVI.

Cur ita vocentur? *Exponibiles* vocantur ideo, 1) quod sensus earum non intelligatur, nisi in duas resoluantur propositiones: 2) quod saepe sint virtualiter negativae, quamvis affirmativae videantur.

## §. LVII.

Quae propositiones vniuersales sint? *Vniuersalem*, an *particularem* esse oporteat propositionem, facile intelligitur, si attendas ad *hypothesin* & *thesin*, quae vere omni propositioni insunt. **THESIS** est ipsa enunciatio, **HYPOTHESIS** conditio, sub qua haec enunciatio vera est. iam observa regulam: *Quoties hypothesis seu conditio, sub qua propositio vera est, latet in ipsa subiecti natura, toties propositio vniuersalis est. Si ea extra subiecti naturam quaerenda: non potest non particularis esse.\**

\* Hinc recte dico: *Omnis aer grauis est*. Conditio enim hic non alia supponenda, quam aeris ipsius natura, ex qua grauitas manifesto fluit. At dicere non possum: *Omnis aer est rarefactus*. Si enim rarefieri debet, conditio ponenda est alia extra aeris naturam, e. g. calor. Ergo dicendum: *Quidam aer est rarefactus*.

## §. LVIII.

§. LVIII.

Mathematici, & qui hos imitantur, philosophi, Quid a-  
singulis propositionibus singula vocabula tribuunt. xiomata  
Quae enim immediate ex definitione fluunt, propo- & postu-  
sitiones, si theoreticae sunt, AXIOMATA; sin-  
practicae, POSTVLATA vocantur. \*

\* E. g. Esto definitio: *Circulus est figura, cuius peri-  
pheria a centro ubique distat aequaliter.* Si inde col-  
ligam: *Omnes radii a centro circuli ad peripheriam  
sunt aequales* habeo axioma. Sin inferam: *Potest  
describi circulus, si filum vel linea circa punctum mo-  
satur*: habeo postulatum.

§. LIX.

Et hinc facile patet, quo sensu axiomata & po- An axio-  
stulata probatione non indigeant. Si enim ipsa de- mata &  
finitio vera est, non potest non & propositio, quae postulata  
immediate inde fluit, vera esse. Quando autem probatio-  
certa sit definitio, quando ipsa demonstratione indi- ne indi-  
geat, supra dictum. (§. XLII.) geant?

§. LX.

Propositiones, quae ex plurium definitionum Quid  
comparatione nascuntur, si theoreticae sunt, THE- theore-  
OREMATA; sin practicae, PROBLEMATA mata &  
vocantur. \* problema?

\* E. g. ex definitionibus polorum, aequatoris & hori-  
zontis inter se comparatis manifesto fluit propositio:  
*Sub polis arctico & antarctico dies aequae ac nox sunt  
sex mensum.* En theorema. Sic & comparatis inter  
se definitionibus lineae meridionalis & plagarum  
mundi, problema repetio: *Linea meridionali per li-  
neam perpendicularem diuisa, reperiri possunt quatuor  
plagae mundi cardinales.*

§. LXI.

Theorematum & problematum veritas non ita Ea sem-  
incurrit in oculos, ac axiomatum & postulatorum. \* per de-  
Hinc vtraque sunt demonstranda. mon-  
stranda.

\* Nascuntur enim ex comparatione diuersarum definitionum. Quas autem ego habeam definitiones, quas inter se comparari, quomodo ratiocinatus sim, non vnusquisque intelligit. Ergo id ostendere; i. e. demonstrationem subnectere teneor.

## §. LXII.

Quid collarium? Si quid noui ex axioma, postulato, theoremate vel problemate colligimus, ea propositio vocatur COLLARIUM vel CONSECTARIUM. e. g. Ex theoremate illò (§. LXI. \*) recte infero: *Sub polis diem & noctem semper esse aequales*: ex problemate: *Angulis singulis aequaliter diuisis, reperiri posse quatuor plagas secundarias*. En CONSECTARIA.

## §. LXIII.

Quid scholion? Quoties propositio aliqua illustratur, e. g. per exemplum, vel ex historia, vel aliud quid notatu dignum adiicitur, toties id vocatur SCHOLION.

## §. LXIV.

Vfus huius diuisionis propositionum. Quamuis autem rarius philosophi vocabula haec addant singulis propositionibus, (quod accurate plerumque faciunt mathematici:) vtile tamen est, scire quales sint propositiones singulae. Ita enim & statim intelligimus, an & quali demonstratione indigeant.

## §. LXV.

Quotuplici modo propositio vna ex altera fluat? Quum ergo, ceu haecenus ostensum, (§. LVIII. sequ.) ex vna propositione aliae fluant: sciendum, id fieri vel per CONVERSIONEM, vel per OPPOSITIONEM, vel per SYLLOGISMVM. \*

\* E. g. si scio: *Omne filium familias esse alieno iuri subiectum*: per regulas de conuersione scio etiam, *quosdam, at non omnes, alieno iuri subiectos, esse filios familias*, & per regulas de oppositione, falsam esse propositionem: *quendam filium familias alieno iuri subiectum non esse*. De syllogismo infra suo loco dicemus.

## §. LXVI.

## §. LXVI.

CONVERSIO est transpositio subiecti in locum Quid  
 praedicati, & huius in locum subiecti, ita instituta, conuer-  
 sit vt vtraque propositio vera maneat. \*

\* E. g. Si propositionem hanc: *Omnis filiusfamilias  
 est alieno iuri subiectus*, ita inuertam: *Omnis alieno  
 iuri subiectus est filiusfamilias*, transpositi quidem sunt  
 termini, sed altera tamen propositio est falsa. Non  
 rite ergo facta est conuersio. (§. LXVI.)

## §. LXVII.

Quum itaque sic conuertenda sit propositio, vt Regulae  
 vtraque vera sit, (§. LXVI.) nec semper tamen de illa?  
 vera sit, quae transpositis terminis emergit: (§.  
 LXVI. \*) consequens est, vt certae obseruandae  
 sint regulae, quae ita se habent: I. Propositio-  
 nes *vniversalis negans & particularis adfirmans*  
 recte conuertuntur simpliciter. II. *Vniuersaliter  
 adfirmans* ita conuertenda, vt altera propositio fiat  
 particularis. III. *Particulariter negans* simpliciter  
 conuertitur, quamuis negatiua non amplius ad cop-  
 pulam, sed ad subiectum pertineat, & sic fiat ad-  
 firmatiua. \* (§. LII.)

\* Primam conuersionem vocant *simplicem*, alteram  
*per accidens*, tertiam *per contrapositionem*, & doctri-  
 nam vtilem obscurissimis inuoluunt vocabulis, regu-  
 lis, versiculis. Nobis non vacat in re seria nugas a-  
 gere. En exempla: Si verum est, *nullum corpus esse  
 infinitum*, vel *quoddam corpus esse penetrabile*, ve-  
 rissimum quoque erit, *nullum infinitum esse corpus*,  
 & *quoddam penetrabile esse corpus*. (per reg. 1. §.  
 LXVII.) Si verum est, *omnes probos esse mortales*,  
 verum etiam est, *quosdam mortales esse probos*. (per  
 reg. 2. §. LXVII.) Denique si verum est, *quosdam  
 homines non morituros*, verum erit profecto, *quos-  
 dam non morituros esse homines*, (per reg. 3. §. LXVII.)

## §. LXVIII.

Itaque vniuersaliter adfirmantes propositiones o- An non  
 mnnes

& uniuersaliter affirmantes aliquando conuerti possint simpliciter?

mnes conuerti possunt, si altera fiat particularis. (§. LXVII, 2.) At non omnes conuerti possunt simpliciter, sed illae tantum, ubi vel 1) praedicatum continet subiecti definitionem (§. XL, 2.) vel 2) alter terminus alterius causam proximam comprehendit, vel 3) differentiam, vel 4) proprium tale, quod omni soli & semper competere censetur. \*

\* Sic recte simpliciter conuerto propositiones: *Omnis spiritus est substantia cogitans*, (ob rat. 1. §. LXVIII.) *Omnes qui credunt saluantur*, (ob rat. 2. *ibid.*) *Omnia linea recta procedit uia breuissima*, (ob rat. 3. *ibid.*) *Omne graue tendit deorsum*, (ob rat. 4. *ibid.*)

## §. LXIX.

Quid oppositio?

Deinde & nouas propositiones ex aliis elicimus, earumque falsitatem cognoscimus per, regulas de OPPOSITIONE, quae est duarum inter se uel re uel in speciem pugnantium propositionum comparatio.

## §. LXX.

Quotuplex?

Quando ergo comparantur inter se propositiones uniuersaliter affirmantes & particulariter negantes, uel uniuersaliter negantes & particulariter affirmantes: oppositio haec uocatur CONTRADICTORIA: si uniuersaliter affirmans comparatur cum uniuersaliter negante, CONTRARIA: si denique particularis opponitur particulari, SUBCONTRARIA. \*

\* Contradictoriae exemplum esto: *Omne bonum est iucundum. Quoddam bonum non est iucundum.* Contrariae: *Omne bonum est sempiternum: Nullum bonum sempiternum est.* Subcontrariae denique: *Quoddam bonum ad mensam pertinet: Quoddam bonum ad mensam non pertinet.*

## §. LXXI.

De singulis regulis.

De CONTRADICTORIIS tenenda regula: *Contradictoriarum propositionum altera semper uera, altera falsa est.* De CONTRARIIS: *Contrariorum utraque falsa esse potest, at nunquam utraque uera.*

*vera.* DE SVBCONTRARIIS denique: *Subcontrariae propositiones ambae verae, at non ambae falsae, esse possunt.*

§. LXXII.

Quae regulae in inuestiganda veritate, in institutis Earum disputationibus, in diiudicandis controuersis, vsus. ac detegendis λογισμαχίαις incredibilem adferunt utilitatem. \*

- \* Quum enim ad inuestigationem veritatis pertineat etiam scire, quid falsum sit: cognita veritate, vi oppositionis contradictoriae certissime cognosco, quid falsum sit. Deinde quia in controuersis & disputationibus propositiones contradictoriae defendi debent: sane, si id non fit, tota controuersia vel disputatio aut in λογισμαχίαν definat, aut neuter disputantium rem acu tetigerit, oportet.

SECT. V.

DE RATIOCINATIONE VEL SYLLOGISMO.

§. LXXIII.

**V**idimus, quomodo duas inter se ideas comparat intelletus. Si tres inter se confert, *συνλογίζεσθαι* seu *ratiocinari* dicitur, (§. X.) adeoque iam proximum est, vt de RATIOCINATIONE vel SYLLOGISMO dicamus.

§. LXXIV.

Quum vero in adornandis syllogismis intelletus Quomodo se habeat, tanquam arithmeticus, qui *regula de Tri-*do mens *bus* vitur, (§. IX\*) idque ipsum etiam vocabulum in ratiocinando arithmetico ex datis duabus quantitibus cognitis tertiam incognitam elicit: ita intelletus, quoties ratiocinatur, ex comparatione duarum idearum cum tertia colligat, componendae illae sint, an seiungendae. \*

E 5

\* Ita

\* Ita ex comparatione *mentis* cum *corpore* & *cogitatione*, satis intelligo, mentem & corpus iungi non posse. Ex comparatione *mentis* cum *spiritu* & *cogitatione*, statim disco, mentem & spiritum iungi posse, adeoque mentem esse non corpoream, sed spiritualement substantiam.

## §. LXXV.

Quid *rationatio* *MVS* est operatio intellectus, qua ille instituta duarum idearum comparatione cum tertia, iungendae-ne istae sint, an separandae, cognoscit.

## §. LXXVI.

Eius non possunt esse quatuor termini. Quum itaque tres sint ideae hic inter se comparandae: (§. LXXV.) consequens est, ut simul ac quatuor ideas in vnum syllogismum compingimus, vitiosa emergat *rationatio*. \*

\* Quod plerumque fit, ubi vocabulum aliquod aequiocatione laborat. Hinc male quis *rationaretur*: *Spiritus est substantia cogitans. Ergo & spiritus vini est talis substantia.* Vocabulum enim *spiritus* diuersimode hic accipitur, adeoque quatuor ideae in vnum syllogismum compinguntur.

## §. LXXVII.

Quis terminus maior, minor, medius? Tres istae ideae, si verbis exprimentur, TERMINI vocantur. Et is quidem, de quo aliquid quaeritur, MINOR; quod de eo quaeritur, MAIOR; & is, quocum hi duo termini comparantur, MEDIVS adpellari solet. \*

\* Si e. g. scire velim, an *aër* sit *gravis*, & hinc has ideas comparem cum *pressione corporum*: *aër* erit terminus MINOR, quia de eo aliquid quaeritur, *gravis* terminus MAIOR, quia hoc ipsum est, quod de *aère* quaeritur. *Pressio corporum* erit terminus MEDIVS, quia cum hac idea duae reliquae comparantur.

## §. LXXVIII.

§. LXXVIII.

Quumque tres ideae vel tres termini aliter comparari non possint, quam ut singulae cum singulis contendantur: omnem quoque syllogismum perfectum constare oportet tribus PROPOSITIONIBUS, quarum illa, quae ex maiori & medio termino componitur, MAIOR; quae ex minore & medio, MINOR; quae ex minore & maiore, CONCLUSIO adpellatur. \*

\* Sic si syllogismum construam ex terminis paullo ante propositis: (§. LXXVII. \*)

*Quod premis corpora inferiora, est graue,  
Aër premis corpora inferiora,  
Est ergo aër grauis.*

prima propositio erit maior, altera minor, postrema conclusio.

§. LXXIX.

Ceterum, quum actus ratiocinandi similis sit arithmeticae operationi: (§. LXXIV.) eadem quoque fundamenta oportet esse syllogismi, quae arithmetices. Ea autem sunt axiomata sequentia: I. Quae conueniunt in uno tertio, ea conueniunt inter se.

II. Quae discrepant in uno tertio, ea inter se discrepant. \* III. Quae adfirmantur vel negantur de subiecto vniuersaliter, eadem adfirmantur vel negantur de singulis, quae sub illo continentur.

\* Sic recte ratiocinor:

$B \text{ non est} = C \quad 4 \dagger 3 \text{ non est} = \frac{1}{2}$

$A \text{ est} = C \quad 6 \text{ est} = \frac{1}{2}$

$A \text{ non est} = B \quad 6 \text{ non est} = 4 \dagger 3$

Iam vocabula substitue, & construe syllogismum;

*Materia non cogitat,*

*Mens cogitat,*

*Ergo mens non est materia.*

Perinde erit, ac si diceres: *Mens & materia discrepant in illo tertio, quod illa cogitat, haec non cogitat, Ergo discrepant inter se, id est, mens non est materia.*

§. LXXX.



## §. LXXX.

Si ergo termini ita disponuntur, vt *medius* fit subiectum *maioris* & praedicatum *minoris* propositionis, syllogismus PRIMAE; si *medius terminus* bis loco praedicati est, SECUNDAE; si bis loco subiecti, TERTIAE FIGURAE esse dicitur. \*

\* Sic syllogismus *primae* figurae est:

*Quod cogitat, est spiritus,*

*Mens cogitat,*

*Mens ergo est spiritus.*

*Secundae* contra:

*Corpus non cogitat,*

*Mens cogitat,*

*Mens ergo non est corpus.*

*Tertiae* denique:

*Quidquid cogitat, est spiritus,*

*Aliquid, quod cogitat, in homine est,*

*Spiritus ergo aliquis in homine est.*

## §. LXXXI.

Earum  
differen-  
tia.

*Prima* semper adeo, quod vniuersaliter rei competit, ad id, quod sub ista re continetur; \* (§. LXXX, 3) *secunda* a contrario † (§. LXXX, 2.) *tertia* a conuenientia rei cum altera in vno tertio concludit. † (§. LXXX, 1.)

\* Vocant id Logici dictum *de omni & nullo*, quod in hac regula consistit: *Quidquid affirmatur vel negatur de subiecto vniuersaliter, id & affirmari negariue potest de singulis, quae sub illo subiecto continentur.* Hinc recte colligo:

*Figura omnis inclusa est suis lineis,*

*Quadratum est figura,*

*Quadratum ergo inclusum est suis lineis.*

Quod enim in vniuersum de omni figura affirmatur, non potest non & de quadrato affirmari, quia hoc sub genere figurae continetur.

† Ita quia *mens cogitat, materia autem non cogitat*, colligo secundum figuram secundam, *mentem non esse materiam.* Contrariorum enim contraria praedicata sunt. (§. LXXIX, 2.)

† Sic

† Sic quia, *quod cogitat, spiritus est, & aliquid cogitans in homine est*, adeoque id, quod in homine est, cum spiritu eatenus conuenit, quod cogiter, recte colligo, *spiritum aliquem esse in homine.* (§. LXXIX, 1)

§. LXXXII.

Ex quo facile patet, 1) in prima figura maiorem Regulae propositionem semper vniuersalem, minorem adfirmatiuam esse debere. 2) In secunda quoque maiorem vniuersalem, & alterutram ex praemissis aequae, ac conclusionem, negatiuam esse debere. 3) In tertia figura minorem adfirmatiuam, conclusionem autem particularem esse debere. \*

\* Et hae sunt regulae speciales, quas licet hodie vilipendere soleant, qui a solidiore doctrina abhorrent: vtilissimas tamen quotidie experiuntur, quicumque veritatis inuestigandae studio tenentur. Quomodo enim veritatem quis inuestigabit, nisi ratiocinando? Et quis se recte ratiocinatum, persuasus esse potest, nisi regulas bonae ratiocinationis perspectas habeat? Solida ergo haec sunt, vti pleraque, quae hodie videri displicent.

§. LXXXIII.

Nec minus iam patet ratio, 1) cur in syllogismo Regulae non esse possint, nisi tres termini. (§. LXXVI.) 2) de syllogismo Cur nec ex puris particularibus, nec 3) ex meris negatiuis propositionibus quidquam sequatur, \* & generatur denique 4) conclusio imitetur partem debiliores.

\* In syllogismo ex mere particularibus propositionibus composito ita colligo: *Quae discrepant in vno termino, ea conueniunt inter se.* In syllogismo ex meris negatiuis conflatu ratiocinor: *Quae discrepant a termino ad rem non pertinente, illa discrepant inter se.*  
Vtra-

Vtraque regula absurda est : (§ LXXIX.) Ergo syllogismi ex mere particularibus & negatiuis constati absurdi sunt. e. gr.

*Quidam homines sunt pulcri,  
Quidam homines sunt deformes,  
Deformes ergo quidam sunt pulcri.*

*Nulla materia cogitat :  
Nullus spiritus materia est ,  
Nullus ergo spiritus cogitat.*

## §. LXXXIV.

Quid de syllogismorum modis, expositione, reductione, sententia, Enthymema?

Quae de syllogismorum modis, reductione, expositione tradunt logici, non absurda quidem sunt, ceu vulgus sibi persuadet: nec tamen, si quae hactenus diximus, recte intelligas, admodum necessaria.

## §. LXXXV.

Id potius hic obseruandum, saepe contingere, vt alterutra praemissarum, quippe menti satis obuia, omittatur. Quo casu ex syllogismo fit ENTHYMEMA. \*

\* E. g. Si dicam: *Mens cogitat, ergo mens est spiritus*, vel: *Quidquid cogitat, est spiritus, ergo mens est spiritus*: enthymemata habebis, quorum propositiones omittas mens sua sponte facile supplebit.

## §. LXXXVI.

Sorites.

Si plurius syllogismorum propositiones vna serie ita connectuntur, vt prioris praedicatum semper sit posterioris subiectum: \* nascitur SORITES. Qui ratiocinandi modus sicuti est ad demonstrandum quam maxime idoneus: ita facile in sophisma aut paralogismum degenerabit, si vel vna immiscetur propositio, quae non necessario vera est, † vel si merae negatiuae sint propositiones in sortitem compactae.

\* Vere ergo hic syllogismus est coaceruatio plurius syllogismorum, & hinc, si in enthymemata resoluitur

uatur, multo clarior esse solet. e. g. Sorites esto sequens:

*Mens est substantia cogitans,  
Substantia cogitans est spiritus,  
Spiritus non est extensum,  
Quod non extensum est, non habet partes extra partes,  
Quod non habet partes extra partes, est indissolubile,  
Quod est indissolubile, est immortale,  
Mens ergo est immortalis.*

Sane clarior ille erit, si ita resoluatur in sua enthymemata. *Mens est substantia cogitans, Substantia cogitans est spiritus, Ergo mens est spiritus. Spiritus non est extensum quid, Ergo mens non est extensa. Quod non est extensum, non habet partes extra partes, Ergo mens non habet partes extra partes. Quod non habet partes extra partes, non potest dissolui, Ergo mens non potest dissolui. Quod dissolui non potest, est immortale, Mens ergo est immortalis.*

\* Hinc facile patet, ubi latitet vitium soritis sequentis: *Mens est in corpore, ergo est in loco. Quod est in loco est coextensum loco, Ergo mens est coextensa. Quod coextensum est, est extensum, Mens ergo est extensa. Quod est extensum, est corporeum, Mens ergo corporea est. Nec enim vera est propositio: Quidquid est in loco, id coextensum loco est.*

§. LXXXVII.

Aliquando propositio maior in syllogismo est Syllogismus composita, & quidem vel **CONDITIONALIS**, e. g. *Si aer corpora subiecta premit, gravis est;* vel **DISIUNCTIVA**, e. g. *Aut bene loquutus sum, aut male;* vel **COPVLATIVA**, e. g. *Nemo potest simul & Deo seruire, & Mammoni.* Et tunc syllogismi hi **COMPOSITI** vocantur.

§. LXXXVIII.

Et **CONDITIONALES** quidem recte se habent, 1) si consequentia maioris vera est: 2) si a tionalis positione antecedentis ad positionem consequentis, vel

vel 3) a remotione consequentis ad remotionem antecedentis concluditur. \*

\* Hinc rectae sunt ratiocinationes: 1) *Si aër corpora subiecta premis, gravis est. At prius verum est. Ergo & posterius.* Item: 2) *Si mens non est spiritus, eam extensam esse oportet. At posterius non est verum. Ergo nec prius.* Contra male procedunt argumentationes: 1) *Si Petrus Romae fuit: fuit ibi Episcopus. Prius verum est: ergo & posterius.* 2) *Si Iudaei Mahumedani essent, essent infideles. At prius non est: ergo nec posterius.* 3) *Si Iudaei Mahumedani sunt, sunt infideles. At posterius verum est. Ergo & prius.* Primus enim syllogismus contra primam; secundus contra secundam; tertius contra ultimam regulam peccat.

### §. LXXXIX.

Disiunctivus.

DISIUNCTIVVS quoque syllogismus concludit recte 1) si membra maioris propositionis vere disiuncta sint: 2) si ea propositio omnia membra opposita comprehendat, & 3) a remotione reliquorum procedatur ad positionem vnius, vel contra. \*

\* Hinc recte se habet ratiocinatio: *Aut mens est corporea, aut spiritualis. At corporea non est. Ergo est spiritualis:* vel: *At est spiritualis: non ergo corporea.* Male contra procedunt syllogismi: 1) *Mahumedani aut blasphemis proscindunt Christum, aut in eum credunt. At prius non faciunt. Ergo in Christum credunt.* 2) *Si inter tutorem & pupillum infansem quasi contractus intercedit, consensit aut tacite pupillus, aut expresse. At expresse non consensit: Ergo tacite.* 3) *Aut mens est spiritus, aut corpus. At corpus non est. Ergo nec spiritus.* Primus enim syllogismus primae; alter secundae; tertius postremae regulae aduerfatur.

### §. XC.

• Copulativus Denique & COPULATIVVS syllogismus rite con-

constructus firmiter concludere videtur, 1) si maior sit negatiua, & 2) a positione vnus ad remotionem alterius membri procedamus, vel contra. \*

\* Bene ergo concludit Seruator: *Nemo potest & Deo seruire & Mammoni. Auari Mammoni seruiunt. Non ergo seruire possunt Deo.* At male se habet syllogismus: *Potest homo Christum profiteri, & improbe viuere. At Iudaei quidam improbe viuunt. Ergo Christum profitentur.* Eum enim in vtramque regulam impingere, facile vnusquisque intelligit.

§. XCI.

Si ex singulis membris propositionis disiunctiuae, vel ex conditionali & disiunctiua mixtae, noua eliciantur coniectaria: syllogismus nascetur elegans, qui **DILEMMA** adpellatur. Quod quemadmodum maxime idoneum est ad ostendendam thesicos absurditatem: ita facile in sophisma degenerabit, si vel 1) membra non sint opposita, vel 2) quaedam omitta, aut 3) coniectaria ex singulis membris non fluant necessario, \* aut 4) non sint eiusdem ponderis.

Dilemma.

\* Bene ergo ratiocinatur Seruator: *Aut bene sum loquutus, aut male. Si male, cur non probas? si bene, quid me verberas?* At regulas dilemmatis paene omnes violatas esse deprehendes in illo Biantis dilemmate: *Si duxeris uxorem, aut formosam duces, aut deformem. Si formosam, habebis κούρη, sin deformem, habebis ποινή. Ergo, si sapias, plane non duces uxorem, nec non in altero: Si iustitiam administras, aut bene, aut male administras. Si bene; offendes homines; sin male, offendes Deum. Ergo plane non administrabis.*

§. XCII.

De syllogismis **MODALIBVS & EXPONIBILIBVS** non est, quod multa dicamus, quum & exponi-Modales  
qui naturam *propositionum modalium* atque *exponibilium* supra explicatam (§. LIII. seqq.) recte intelligit, non

F

non possit non & naturam horum syllogismorum  
perspectam habere.

## CAP. III.

DE VERITATE, EIQUE OPPOSITO  
FALSO.

## SECT. I.

## DE VERITATE GENERATIM.

## §. XCIII.

Ratio  
conne-  
xionis.

SI quis hisce intellectus operationibus recte utitur: bene sane utitur ratione. Quumque recta ratio sit facultas, veritates alias ex aliis per necessariam concludendi rationem eliciendi: (Hist. phil. §. II.) consequens est, ut hoc modo procedens inueniat VERITATEM, de qua iam agendum paullo accuratius.

## §. XCIV.

Veritas  
quotu-  
plex.

VERITAS est vel METAPHYSICA, vel MORALIS, vel LOGICA. *Metaphysicis* verum dicitur, quidquid habet essentiam sibi convenientem. Hoc sensu v. g. Christus dicitur *verus Deus*, & *verus homo*. *Ethicis* veritas est convenientia verborum signorumque externorum cum cogitationibus mentis. Hinc qui, quod sentit, eloquitur, *verum*; qui aliud sentit, aliud loquitur, *falsum* dicere perhibetur. At nos iam hic de veritate *logica* loquimur.

## §. XCV.

Quid lo-  
gicis veri-  
tas & fal-  
sum?

*Ea est convenientia idearum nostrarum cum obiectis.\**  
Hinc si mihi e. g. concipio turrim vel aliquid rotundum, & ea vere talia sunt, veritatem dicor adsequutus. Conveniunt enim ideae cum obiecto. Contra FALSVM est *disconvenientia idearum cum obiecto.*

\* Vee

- \* Veritas ergo est in *re*, tanquam in fundamento, in *intellectu*, tanquam in subiecto, & in *verbis*, quibus sensa animi eloquimur, tanquam in signo lo. Andr. Schmiedt. *Metaph. P. III. §. 4. p. 50.*

## §. XCVI.

Itaque veritas aequae ac falsitas aut est in IDEA simplici, si ita rem concipio, uti est, vel non est: Veritas  
\* aut in IUDICIO, quando iungenda iungo, dis-  
iungenda disiungo, vel contra: aut denique in RA-  
TIOCINATIONE, quoties in forma & materia  
recte ratiocinor, vel contra.

- \* Quamvis enim sint, qui veritatem in vna idea consistere posse negent: quia tamen falsa idea dicitur, quae ab obiecto discrepat, quidni *veram* dicamus, quae cum eo convenit? Quidni ergo & ideae verum falsumque inesse fateamur.

## §. XCVII.

Veritas IUDICII requirit, 1) ut ideae iungendae iungantur. e. g. *ignis est calidus, ignis non est frigidus.* 2) Ut ita iungantur vel disiungantur ideae, ne, quae vniuersalia sunt, particulariter; quae particularia, vniuersaliter efferantur. e. g. *Omnes figurae inclusae sunt lineis. Quaedam figurae sunt regulares.*

Quando verum dicatur iudicium?

## §. XCVIII.

Ex quo per se patet, falsum vel in propositionum QUALITATE, id est, in affirmatione & negatione; vel in earumdem QUANTITATE; id est, in vniuersalitate vel particularitate propositionum latitare. ‡

Falsum quotuplisciter dicitur iudicium?

- ‡ Sic si dicam: *Ignis frigidus est, ignis non est calidus*, falsum latet in qualitate propositionum, quia adfirmo, quod negandum, nego, quod adfirmandum erat. Contra, dum dico: *Omnes figurae sunt regulares. Quaedam figurae inclusae sunt lineis*; falsum in quantitate latitat, dum omnibus figuris tribuitur, quod quibusdam; quibusdam, quod omnibus competit.

F z

## §. XCIX.



## §. XCIX.

Quando vera ratio-  
tione?  
Quomque ad veritatem ratiocinationum pertineat,  
vt syllogismus in FORMA aequae ac MATERIA  
recte se habeat: (§. XCVI.) falsa erit ratiocinatio,  
quoties vel in forma non obseruantur regulae syl-  
logisticae, (§. LXXXIII. *seq.*) vel, quod ad *ma-  
teriam* attinet, alterutra praemissarum non est vera. \*

- \* Ex veris enim praemissis, potest fluere falsa con-  
clusio, si forma vel consequentia male se habet. e.  
g. *Nullus martyr Christianorum fuit Iudaeus. Nullus Iu-  
daeus est Christianus. Nullus ergo martyr Christianorum  
fuit Christianus.* Ex falsis quoque praemissis potest vera  
conclusio fluere per accidens. e. g. *Qui credit creatio-  
nem mundi, est Christianus. Augustinus credidit crea-  
tionem mundi. Augustinus ergo fuit Christianus.* At  
si forma & materia recte se habent: tunc verissi-  
mum est, ex veris praemissis non posse, nisi ve-  
ram, conclusionem nasci.

## §. C.

Quid para-  
logis-  
mus?  
Et huiusmodi quidem falsae ratiocinationes sunt  
PARALOGISMI & SOPHISMATA, quorum  
illi sunt syllogismi, qui vel ex vero vel falso prin-  
cipio falsam conclusionem eliciunt, adeoque fal-  
lunt sub specie demonstrationis. \*

- \* Talis fuit ille supra propositus. *Anima est in corpore.  
Ergo in loco. Quod est in loco, id loco coëxensum est. Quod  
coëxensum est, est extensum. Anima ergo est extensa.* Hic  
sub specie demonstrationis ex principio falsissimo,  
quod, quae in loco sunt, loco coëxensa sunt, elicitur  
falsa conclusio, quod anima sit extensa. Contra, si  
quis ratiocinaretur: *Omne graue premit corpora. Quod  
premit corpora, eadem, si infirmiora sint, comprimit  
vel frangit. At aër corpora humana, quamuis infir-  
miora sint, nec comprimit, nec frangit. Ergo non est  
grauis: itidem committeret paralogismum, quia ex  
principio vero, quod grauia premant corpora, elicit  
conclusionem falsam: aërem non esse grauem.*

## §. CI.

## §. CI.

SOPHISMATA contra sunt ratiocinationes, Quibus decipiuntur homines sub specie probabilitatis. Vnde & FALLACIAE solent adpellari. fophisma?

\* Quis enim crederet, demonstrationis speciem prae se ferre hominem; ita ratiocinanti: *Quod quis non amisit, habet. Cornua tu non amisisti. Cornua ergo habes?* Sponte is & data opera decipit, ut acutior aliis videatur. Et hinc eiusmodi syllogismi dicuntur *sophismata*. Quum enim initio *soφισται* dicerentur omnes, qui sapientiam profitebantur, postea a tempore Socratis ob insignem *sophistarum* tunc viuentium stultitiam euilesce hoc nomen coepit, & tantum pseudophilosophis dari. Eorum characteres expresserunt Plato in *Sophista*, Themistius *Orat. IV*, quibuscum iungendum *Programma nostrum inaugurale de verae falsaeque sapientiae characteribus*, Halae MDCCXIII. in 4. editum. Saeculo Christiano secundo & sequentibus honorifica iterum esse coepit *sophistarum* denominatio, quum ita dicerentur, qui cum philosophia studium eloquentiae coniunxerant. Argumento esse possunt Philostrati & Eunapii *Vitae Sophistarum*.

## §. CII.

Latitat fallacia vel in DITIONE, vel in RE-Qtu-BVS ipsis. *Illa* sophismata puerilia sunt, & non p'icia nisi stupidissimum quemque decipiunt. *Haec* paulo magis speciosa. fophisma?

## §. CIII.

In DITIONE latitat fallacia, quoties vel 1) in simplici voce est AMBIGUITAS, vel 2) in phrasibus AMPHIBOLIA, vel 3) FIGURA dictionis diuersa, vel 4) sensus COMPOSITVS & DIUISVS permiscetur. † Et his quidem casibus omnibus vitium quatuor terminorum (§. LXXXIII.) in oculos incurrit. Fallaciae dictionis.

† Ita sophisma Romanorum, quo aduersus Antiochum

Regem vsi, *ambiguitate* laborat: *Qui dimidium nauisium se daturum promisit, eius naues dissecandae. Promisit hoc Antiochus. Ergo eius naues sunt dissecandae. Per amphiboliam decipiunt Romanenses, dum argumentantur: Cui dictum: pasca oves meas, is est caput visibile ecclesiae. Id dictum Petro. Petrus ergo fuit caput visibile ecclesiae. Denique figura dictionis diuersa est in illo argumento stolido: Populus ex terra crescit. Multitudo hominum est populus. Multitudo ergo hominum ex terra crescit. Ad has species & pleraque oracula ambigua facile retuleris. Denique compositione & diuisione ludebat filius, qui patri rustico, non tria oua in patina esse, sed quinque, hoc argumento persuadebat: *Vbi sunt tria oua, ibi & duo sunt. Tria & duo sunt quinque. Ergo haec tria oua sunt quinque.**

## §. CIV.

Fallaciae in rebus. Earum prima classis, In REBUS ipsis fallacia latitat, quoties vel 5) plures *interrogationes* in vnam compinguntur, vel 6) status quaestionis mutatur. Quarum priorem *πολυζήτησις*, seu fallaciam PLVRIVM INTERROGATIONVM; posteriorem *ἰσοζήτησις*, seu IGNORATIONEM ELENCHI adpellitant.\*

\* *Πολυζήτησις*, seu plurium interrogationum sophisma inuoluit argumentum: *Qui furari non desist, furatur. Caso furari non desist. Cato ergo furatur.* Quaestio enim alia est, an Cato vnquam furatus sit, & sic desierit furari? alia an ideo furari non desierit, quia nunquam furum facere coeperit? Quod genus sophismatis praecipue ad veterem modum disputandi Socraticum, qui per interrogationes instituebatur, pertinebat. Contra ad *ἰσοζήτησις*, vel *ignorationem elenchi* pertinet sophisma; *Quod Christus dicit, verum est. Dicit vero: Tu es Petrus; & super haec petram aedificabo ecclesiam meam. Itaque hoc verum est.* Quasi enim dubitet quisquam, an id, quod Christus dicit, verum sit, ac non potius quaestio sit, quomodo illa Seruatoris verba sint intelligenda.

## §. CV.

## §. CV.

In rebus quoque fallacia est, vbi 7) vel demon- Et altera.  
stratur aliquid ex eo, quod adhuc in quaestione est,  
vel 8) conclusio ex praemissis, praemissae est con-  
clusionem probantur, vel 9) consequentia non pro-  
cedit, vel 10) ab eo, quod certo respectu verum  
est, argumentum ducitur ad id, quod absolute ve-  
rum sit. *Septimum* illud genus PETITIO PRIN-  
CIPII; *octauum* CIRCVLVS, *nonum* fallacia CON-  
SEQUENTIS; *decimum* fallacia A DICTO SE-  
CVNDVM QUID AD DICTVM SIMPLICI-  
TER appellatur. ‡

‡ PETITIO PRINCIPII est illa Romanensium: *Ex-  
tra ecclesiam non est spes salutis. Protestantes extra  
ecclesiam sunt. Nulla ergo Protestantibus spes (salutis  
est. CIRCVLVM* iidem committunt, dum eccle-  
siae suae veritatem probant testimonio scripturae:  
diuinitatem testimonio ecclesiae. CONSEQUEN-  
TIS sophisma est: *Quod oritur, etiam moritur. Mens  
oritur, ergo & moritur. A DICTO SECVNDVM  
QVID AD DICTVM SIMPLICITER* inferunt,  
qui ita ratiocinantur: *Homo moritur. Ad hominem  
& anima pertinet. Anima ergo moritur.*

## §. CVI.

Nec minus fallunt, qui 11) ab eo, quod fit per Itemque  
ACCIDENS, absolute aliquid colligunt, vel 12) *tertia.*  
id, quod CAVSSA NON EST, pro causa ven-  
ditant. \*

\* Stolidi itaque argumentatio est: *Vnde quis furis, id  
malum est: Qui bibit, inde furis. Bibere ergo malum est.  
Nec magis ferenda illa ratiocinatio paganorum aduer-  
sus Christianos. Dum Christianismus in mundo fuit,  
mille calamitates orbem Romanum oppresserunt. Christia-  
nismus ergo omnium calamitatum causa fuit. Quod so-  
phisma eleganter soluit Tertullian. in Apologes. Cap.*

*XL. & XLVII. & ad Nat. Lib. I. Cap. IX.* Quin eo consilio Augustinum libros de Civitate Dei; Orosium *Ormesiam*, quam vocat, scripsisse, nemo ignorat.

## §. CVII.

Veritas  
certa &  
probabi-  
lis,

Alia deinde veritas est CERTA, alia PROBABILIS. *Certa* est, quae vel indubia sententia, vel certo ac evidenti principio nititur. *Probabilis*, quae hypothesei, tanquam fundamento, superstruitur. \*

- \* An veritas quaedam nitatur certo ac evidenti principio, tum demum adparet, quando mihi nexus eius cum tali principio clare ob oculos ponitur. Id vero fit per DEMONSTRATIONEM. Contra, an veritas sententia indubia nitatur, non potest clarum fieri, nisi per OSTENSIONEM & EXPERIENTIAM. Praeter ea quoties aliquid ideo verum puto, quod illud HYPOTHESI conveniat, hypothesein autem ideo tanquam veram adsumo, quia phaenomena inde commode possunt explicari; *probabilis* nascitur veritas. Sic per *ostensionem* & *experientiam* probo, dari colorem rubrum, ignem esse calidum. &c. Per *demonstrationem*, duos angulos rectos aequales esse semicirculo. Ex *hypothesei*, vitrum ideo esse pellucidum, quia meros habeat poros rectilineares.

## §. CVIII.

An probabilis  
alicuius  
pretii sit?

PROBABILIS veritas minus convincit intellectum, quam *certa*, Non minus tamen, quam haec, in vita civili utilis esse potest. \* Quin aliquando probabilitas, quia suos gradus habet, ita comparata est, ut a veritate certa non multum differat.

- \* Itaque in errores perniciosissimos incidunt, qui, reiectis veritatibus probabilibus, meras certas ac demonstrativas exigunt. In vita enim civili pleraque negotia ad probabiles tantum veritates pertinere, nemo ignorat.

## §. CIX.

## §. CIX.

Sic & FALSVM vel est CERTVM, vel PROBABI- Falsum  
BABLE. *Certum*, quando vel sensationi, vel prin- quatu-  
cipio evidenti manifesto repugnat, adeoque inuol- plex?  
uit contradictionem. *Probabile*, quando repugnat  
hypothesi probabili. \*

\* Ita CERTO FALSVM est, *ignem esse frigidum, da-  
ri figuram duabus lineis inclusam*, at PROBABI-  
TER FALSVM videtur, *in planetis non esse ani-  
malia viva, mentem nostram ante corpus exiisse,*  
*omnes morbos oriri ex vermiculis.*

## §. CX.

Hinc & falsi certi gradus sunt. *Alias enim pro-* Eius va-  
*positiones falsas esse, demonstrari non potest, quam-* ri gradus.  
*uis intellectus nostri ad sensum vix impetrent. Alia-*  
*rum falsitas demonstratur, vel facilius, vel opero-*  
*sius. In aliis falsitas ita incurrit in oculos, vt de-*  
*demonstratione plane non opus sit.* \*

\* Ita quamvis demonstrari non possit, *daemonem sagis  
non adparere*: tamen sapiens vix a se impetrabit, vt  
id credat. *Duos angulos trianguli aequales esse semi-*  
*circulo, falsissimum est: neque tamen id statim agno-*  
*scit intellectus, nisi demonstratione convincatur.*  
*Denique lapidem esse corpus fluidum, tam falsum est,*  
*vt, qui eam propositionem sibi demonstrari petit,*  
*non homo, sed lapis videatur.*

## §. CXI.

Ex quibus patet 1) nobis quasdam res esse posse An idem  
certo veras, quae aliis sint tantum probabiles, & con- omnibus  
tra. Sic *me tristem esse*, certo scio, alter id proba- certum,  
biliter iudicabit ex gestibus meis. 2) Nobis aliquid probabi-  
certo falsum esse posse, quod aliis vel verum, vel le, ve-  
probabiliter falsum sit. e. g. *Non dari amipodes,* rum, fal-  
nobis certo falsum est: at patres ecclesiae sum?  
plerique eam propositionem vel pro certa vel fal-  
tim

tim probabiliter vera habuerunt. 3) Probabiliter verum vel falsum aliquando certo tale fieri posse. e. g. maioribus probabiliter verum visum, *sanguinis circulationem quandam esse*; probabiliter falsum, *ultra mare Atlanticum non occurrere terram continentem*: at nobis de utroque certissime constat.

§. CXII.

Transitio ad alteram sectionem. Quare de eo, quod certo verum falsum est, & quod probabiliter tale esse diximus, paullo distinctius erit agendum.

SECT. II.

DE EO, QVOD CERTO VERVM FALSVMVE EST.

§. CXIII.

Quid certa veritas? **C**ERTA VERITAS nobis est, quae vel inducitur *via sensione*, vel certo ac indubio *principio* nititur. (§. CVII.) CERTO FALSVM, quod inducitur *sensione*, vel certo *principio* repugnat. (§. CX.)

§. CXIV.

Eius duplex criterium: alterum *sensuum certitudo*. Itaque certitudinis istius duo sunt *criteria* certissima: SENSIO & RATIO. Quum enim res omnes, siue quod ad modos, siue quod ad effectus, sensibus percipiamus, eorumque ope claras, distinctas atque adaequatas ideas adquiramus: (§. XXIII. seqq.) consequens est, ut aut nulla sit veritas, quod absolum, aut sensus, positis omnibus ad sentiendum requisitis, nunquam fallant.

\* Nimirum SENSIO & IDEAE ita differunt, ut in illa intellectus *passive*; in his *active* se habeat. Illa percipimus res *singulares*: hae sunt *universales*. Illa *praecedat*, hae *sequuntur*. Vid. Illustris Thomae Verunfii-Lehre Cap. VI. §. 22. seqq.

§. CV.

Quid circ. Sensio ponit organa sensoria. Quumque haec apud

puđ alios bene, apud alios male se habeant, & hoc ca organa-  
quidem casu illa officio suo fungi non possint: o- na senso-  
portet sane 1) organa sensoria ita comparata esse, ria obser-  
vt nullo vitio vel morbo laborent. 2) Is vero, cui uandum?  
sensus paullo hebetiores obtigerunt, ei defectui aliis  
modis mederi debet. \*

\* Ita myopes & presbytae satis norunt, quam prope ab  
oculo distare debeat obiectum, quod attentius con-  
templari velint. Vid. Io. Christ. Sturmii *Diss. de my-  
opibus & presbytiis.*

§. CXVI.

Quumque sensus ad cerebrum propagetur, & ibi Qualem  
mens veluti contempletur istas perceptiones, atque esse oportet  
inde ideas formet: (Phil. mor. §. XXV.) conse- teat men-  
quens est, 3) vt, qui sensibus recte vti vult, sana tem, si  
mente praeditus esse, ac 4) rem iusta attentione sensus  
contemplari, & 5) pluribus in consilium adhibitis fallere  
sensus rei proprietates inuelligare debeat. \* non de-  
beant?

\* Ita oculis non tam facile distingues saccharum & a-  
lumen: at facile illa distingues gustu. Aurum &  
argensium inauratum difficilius discernent oculi, nec  
vllum aurium, ac reliquorum organorum sensorio-  
rum hac de re erit iudicium competens; at tactu,  
&, quod illo exploratur, pondere statim res se pro-  
det.

§. CXVII.

Quum porro vires & potentiae organorum sen- Qualis fi-  
siorum non sint infinitae: sequitur, 6) vt iustam tus di-  
distantiam esse oporteat organorum & obiectorum. stantia-  
7) Vt, si vel obiecta nimis remota sint, vel ob in- que ob-  
signem subtilitatem sensus fugiant, instrumenta, iecti esse  
quae industria humana eam in rem inuenit, adhiben- debeat?  
da sint. 8) Vt medium inter obiectum & organa  
recte se habere debeat. \*

\* *Distantia* qualis esse debeat inter oculos auresue &  
ob-



obiecta ipsi oculi & aures iudicant. In reliquis sensibus obiecta organum contingant eiue proxima sint, oportet. *Instrumenta*, quibus res remotiores contemplamur, sunt *tubi optici & telescopia*, quibus res minores; *microscopia*. *Medium* in visione debet esse lucidum, limpidum, non duplex. Nec ignotum, quam multa visionis ludibria detegat Optica.

## §. CXVIII.

**Res sensu exploranda sub quibus si 9) rem consideremus sub diuersis circumstantiis, & 10) eius partes singulas seorsim circumstantiis.** Denique quum res fere omnes sint compositae earum naturam sententia non aliter perspicimus, quam si 9) rem consideremus sub diuersis circumstantiis, & 10) eius partes singulas seorsim circumstantiis. ‡

‡ Sic, *an aer elasticus sit*, non melius experiri possum, quam si aërem vesicae suillae inclusum primum frigori exponam, deinde admoveam igni. Naturam *pulveris pyris* non rectius perspiciam, quam si primum in naturam & effectus sulphuris, dein nitri, ac denique carbonum deminatorum inquiram, deinde binas harum rerum misceam, & sic quoque earum effectus explorem.

## CXIX.

**Alterum criterium veritatis certae ratio, unde demonstratio.** Ita *sententia* ad veritatem mihi viam munio. Altera via est RATIO, (§. CXIV) quae quum sit facultas ratiocinandi, id est, veritates alias ex aliis per necessariam concludendi rationem eliciendi: (Hist. phil. §. II.) sequitur, vt, an propositio quaedam ex principio aliquo certo fluat, ad liquidum perducitur aliter non possit, quam per DEMONSTRATIONEM.

## §. CXX.

**Quid demonstratio?** DEMONSTRATIO est modus ratiocinandi, quo conclusionem cum indubio quodam principio ita connecto, vt de eius veritate dubitare non possis. \*

\* Et hinc mathematici, quia meris demonstrationibus

bus vtuntur, disciplinas suas ad eum certitudinis gradum prouexerunt, vt ab Euclidis temporibus de Elementorum eius veritate dubitare nemo potuerit, qui ea intelligit.

§. CXXI.

Ceterum aut effectum ex sua causa demonstra- Quotus-  
mus, aut causam ex suo effectu. Quarum prior plex?  
demonstratio A PRIORE & κατ' ἴσχυριν demonstratio;  
posterior demonstratio A POSTERIORE dicitur. \*

\* Sic e. g. si rotunditatem telluris demonstro ex vmbra eius in eclipsibus lunaribus; demonstro causam ex effectu, adeoque ea demonstratio erit a posteriore. Contra vbi mentis immortalitatem ex eius immaterialitate, hanc ex cogitatione demonstro, demonstratio erit a priore.

§. CXXII.

Quum itaque demonstratio A PRIORE a causa Demonstrationis  
ad effectum procedat: consequens est, 1) vt omnes a priore  
praemissae debeant non modo notiores, sed & priores  
conclusionem, & vere eius causae esse. \* requisitum  
primum,

\* E. g. Qui quindecim gradibus magis ad orientem habitant, quam nos, ii meridiem vna hora citius habent, quam nos. Ergo, qui ad orientem navigant, quoties quindecim graduum iter absoluerunt, meridiem habebunt vna hora citius. Iam circa terram gradus quindeni sunt vices & quater. Ergo qui totam terram orientem versus circumnavigant, 24. horis citius habent meridiem, adeoque domum reuersi diem vnum different a ciuibus suis. Hic omnes propositiones praemissae sunt conclusionibus priores, notiores, ac vere earum causae, adeoque recte se habet demonstratio.

§. CXXIII.

Quumque ex falso principio verum fluere non Secundo-  
pos-dum.

possit: (§. XCIX.) merito inferimus, 2) omnes praemissas in demonstratione necessario veras esse debere. \*

- \* *Necessario autem verum dicitur, quod non potest non ita se habere. Hinc si fieri non potest, quin ex causa aliqua hic effectus sequatur: propositio erit necessario vera. Sin causa plures effectus producit, vel vnus effectus plures causae esse possunt, eiusmodi propositio non erit ad demonstrationem idonea. e. g. Necessario vera est propositio: Quia luna est corporis opacum, non potest non lumen solis interciperi, vbi inter solem & oculum nostrum interposita est. Opacum enim corpus necessario hunc effectum producit. At minus necessario verae sunt propositiones: Qui laetus est, ridet. Qui ridet, laetus est. Nam nec laetitia semper risum excitat, & risus illius plures esse possunt causae.*

## §. CXXIV.

**Tertium.** Quum porro demonstratio nexum cum suo principio ostendere debeat: (§. CXX.) consequens est, 3) vt singulas propositiones immediate connexas esse oporteat. \*

- \* *Si enim immediate non cohaerent, noua demonstratione esset opus, quod cohaerent, adeoque an conclusio mea ex principio illo fluat, ignorarem, & ita non data esset demonstratio. e. g. Si dicerem: Si quis sub polo est, vniuis in sphaera parallela, ergo stellas nec orientes nec occidentes videt; nondum effectus hic ex sua causa demonstratus esset. Nam nondum video, immediate cohaerere sphaeram parallelam & effectum illum. At si ita ratiociner: Si quis sub polo est, aequator & horizon ibi sunt paralleli. Vbi hi sunt paralleli, ibi & stellas mouentur in situ parallelo cum horizonte. Ergo semper in eadem distantia ab horizonte sunt, adeoque nec oriuntur nec occidunt: Iam omnia immediate cohaerent, & hinc recte se habet demonstratio.*

## §. CXXV.

## §. CXXV.

Nec minus inde colligas, 4) in demonstratione eo Quat-  
vsque progrediendum esse, donec peruenerimus ad tum.  
principium aliquod vel in se notum, vel antea de-  
monstratum. † Nam nisi id fieret, denuo opus es-  
set demonstratione demonstrationis.

† Sic e.g. demonstratio, quam modo dedimus, omni-  
no sufficeret ei, qui ex geographia didicit, quid sit  
sphaera parallela. Non autem ea sufficeret, si mihi  
res esset cum homine, eius disciplinae ignaro. Huic  
enim primum per definitionem ostendendum esset,  
*quid sit sphaera parallela, horizon, aequator, situs pa-  
rallelus, deinde probandum, sub polis sphaeram salem  
esse, ac denique, in tali sphaera horizontem ac aequa-  
torem parallelos esse.*

## §. CXXVI.

Porro A POSTERIORE aliquid demonstratur, Qualis  
quoties causa ex suo effectu ostenditur. Vbi tamen demon-  
ca adhibenda cautio, ne alios effectus in ratiocina- stratio  
tionem admittamus, quam qui necessario, & ex il- a poste-  
la sola causa proficiuntur. \* riore.

\* Vbi ergo vnus rei plures causae esse possunt, non  
procedit demonstratio. Hinc male ex ruina aedium  
colligo, ventum vehementem fuisse. At recte in-  
fero. *Eclipsis lunaris oritur ex umbra terras inter so-  
lem & lunam interpositae. Umbra illa est rotunda,  
ergo & corpus telluris, unde proicitur, est rotundum.*

## §. CXXVII.

Praeterea alia DIRECTA, alia INDIRECTA Nec non  
est demonstratio. Illa est, quam haecenus descri- demon-  
psimus: haec, propositionem veram esse, inde o- stratio in-  
stendit, quia ex opposita vel absurdum, vel impos- directa  
sibile, vel, quod teste experientia, falsum est, se-  
quitur. Quae sane firmior est, quam vulgo vide-  
tur. Nam quum duo contradictoria simul vera  
esse nequeant, (§. LXXII.) & ex vera propositione,  
in forma aut consequentia non pecces, falsa con-  
clusio

elutio elici non possit: (§. XCIX. \*) vera sane erit propositio, cuius ex opposita absurdum vel impossibile quid necessario fluit. \*

\* Sic lunam esse corpus opacum, recte inde demonstro, quia, si tale non esses, lumen solare transmitteres, & sic nulla unquam existeres eclipsis lunaris. Quod quum falsum sit, falsum etiam esse oportet, lunam esse corpus pellucidum. Est ergo corpus opacum. Q. E. D.

## §. CXXVIII.

Quid in ea obser- uandum? In ea demonstratione id tantum providendum, 1) ut absurdum, impossibile, falsum necessario ex propositione opposita fluat. 2) Ut propositio, ex qua tale quid elicimus, vere sit conclusioni nostrae opposita. Nil enim id obseruetur, in calumniam abibit indirecta illa demonstratio. ‡

‡ Hinc, si quis ita demonstrationem suam insitueret: *Si sola fides iustificaret, impios etiam ac impenitentes iustificari oporteres. Atqui hoc absurdum est. Absurdum ergo etiam est, solam fidem iustificare: in manifestam calumniam abiret haec demonstratio, quia ex hac doctrina haec consequentia non fluit. Nec magis ferenda esset ratiocinatio: Si sola fides iustificaret: consequeretur, ut opera bona Deo displiceant: Id vero absurdum. Ergo & absurdum, fidem solam iustificare. Nam propositio, Sola fides iustificat, alteri illi: Bona opera sunt facienda, non est opposita. Nec sequitur, ut, quod non iustificat, Deo ideo profus displiceat.*

## §. CXIX.

An alicui con- sequentiae omnes, quae ex doctrina fiunt, tribuendae? Contra si quis thesin defendit, ex qua absurdae conclusiones manifesto & necessario fluunt: ineptus est, dum conclusiones negat, & protestatur, se has non agnoscere, quum thesin tamen, ex qua illae necessario fluunt, agnoscat. \*

\* Quam absurde enim quis defenderet, se quidem statu-

tuere, *bis quatuor esse septem*, at ideo non agnosce-  
re, *bis quatuor & unum esse octo*.

## S E C T. III.

## DE VERITATE PROBABILI.

## §. CXXX.

Sufficiant haec de veritate *certa ac demonstrativa*: Funda-  
proximum est, vt de PROBABILI agamus. Vt mentum  
vero illius fundamentum diximus esse *principium*: veritatis  
ita haec sola HYPOTHESI nititur. (§. CVII.) probabili  
Hypo-  
thesis.

## §. CXXXI.

Est autem HYPOTHESES propositio, quam ideo  
pro vera adsumimus, quia proprietates & effectus  
rei inde commode explicantur: \* Quid hy-  
pothesis?

- \* E. g. si adsumam, terrae motus ex materia subter-  
rana, inflammabili, maxime nitrosa & sulphurea,  
oriri: id quidem ita se habere, aliter demonstrare  
non possum, quam quia omnia phaenomena, quae  
in terrae motu obseruantur, inde satis commode  
possunt explicari. Est ergo *hypothesis*, quam iure  
pro falsa habere non possum, quamdiu verior & cer-  
tior non profertur.

## §. CXXXII.

Aut veto pro hypothesi adsumo *verborum signifi-* Quoru?  
cationem, positum, connexionem, cum sine aucto-  
tis conspirantem; aut *testis* cuiusdam auctoritatem, bilitas?  
aut *eventum* actionum, vel inclinationum signa, aut  
*phaenomenorum* ex causa aliqua explicationem com-  
modam. Si primum; fit probabilitas illa HERME-  
NEVTICA: si secundum; HISTORICA, quae  
speciatim FIDES dicitur: si tertium; MORALIS  
& POLITICA: si postremum denique; PHYSI-  
CA adpellabitur.

## §. CXXXIII.

Fundamentum itaque probabilitatis HERME- Funda-  
G NEV- tentur?

probabili- NEUTICAE est: 1) *Quod cum verborum significa-*  
 litatis *tionem, positu connexionem, itemque cum auctoris sine*  
 herme- *& affectum convenit: id probabiliter pro sensu auctoris*  
 neuticac. *habendum.*

\* Dicemus ea de re infra (Cap. IV. Sect. II.) vbi *de in-*  
*terpretatione* erit agendum. Est enim hoc genuinum  
 verae interpretationis fundamentum.

Itemque  
 historicae.

§. CXXXIV.

Probabilitatis HISTORICAE, seu FIDEI, fun-  
 damentum est regula: 2) *Quod verum esse testatur*  
*homo fide dignus, id probabiliter verum est.* \*

\* Ita creditur *Polybio*, quae de bellis Punicis; *Iosepho*  
 quae de excidio gentis Iudaicae refert. Nemo au-  
 tem sanus credet, quae *Cochlaeus* de Lutheri rebus  
 gestis nequissime calamo effudit.

§. CXXXV.

Tesium non eadem auctoritas. Quod traditur nobis ab hominibus, id 1) aut 2) *praesentibus* vel *coaevis* traditur, aut ab *absentibus*, & *recentioribus*: 2) *Testes* vel *plures* sunt, vel *unus*: itemque 3) vel *oculis* rem perceperunt, vel ab aliis *narrari* audierunt, quin & 4) vel *scientiae suae rationes* reddunt, vel non, & vel rem in se *possibilem* referunt, vel *mirabilem* vel *plane impossibilem*. Denique 6) vel *noti*, vel *ignoti* sunt, 7) vel *neutrarum partium*, vel *uni parti* magis obnoxii, 8) vel *prudentes*, vel *vaecordes*, 9) vel *probi*, vel *improbi* & *mendaces*.

§. CXXXVI.

Axiomata de gradibus fidei humanae. Ex quibus divisionibus facile intelliguntur axio-  
 mata, ex quibus de gradibus fidei humanae potest  
 iudicari: I. *Quo magis certus sum, auctorem nec vo-*  
 luisse, nec potuisse me decipere, eo maiorem ei fidem  
 habere teneor. \* II. *An quis me vel voluerit, vel po-*  
 tuerit decipere, saepe ex ipsis narrationis circumstan-  
 tiis iudicandum est. †

\* Quum

\* Quum enim fides pro hypothefi habeat *auctoritatem*, (§. CXXXII.) auctoritas nitatur testimonio fide digno, (§. CCXXXIV.) fide dignus autem fit, qui nec vult, nec potest me decipere: quo magis de hoc certus sum, eo probabilius eius testimonium esse oportere, facile patet.

† Quum enim res ad testimonia redeat, testimonium autem verum sibi ipsi contradicere, aut sui dissimile esse non possit: vbi circumstantiae eius contradictoriae vel dissimiles sunt, ibi testem vel voluisse vel potuisse decipere, suspectumque esse eius testimonium, facile apparet.

## §. CXXXVII.

Certissimum ita est, 1) vni testi, rem mirabilem Regulae narranti, parum fidei haberi, etiamsi alias non adeo de numero suspectus sit, maxime vbi res ita comparata est, vt *ro & qua* testis facile decipi imaginatione potuerit. 2) At *litate* maiorem esse probabilitatis gradum, si rem, vt vt *stium, si* mirabilem, non impossibilem tamen, plures testes, *rem mi-* licet non per omnia eodem modo, iisdemque cir- *rabilem* cumstantiis, referant. 3) Multo probabilius esse, *narrant* quod plures fide digni iisdem circumstantiis referunt: eamque probabilitatem 4) haut parum augeri, si testes sint oculati, si personae publicae, si iurati.

## §. CXXXVIII.

Si res, quae refertur, possibilis & minus mirabilis est: 1) fama sine certo auctore minus facit probabilitatis; aliquanto plus 2) si vnus vir prudens & probus se rei interfuisse dicat: multo plus, 3) si *De nar-* rem plures eodem modo, iisdemque circumstantiis, *ratione* & maxime, 4) si iurati referant. *rei minus* *mirabilis;*

## §. CXXXIX.

In factis antiquis 1) recentiori scriptori, alteru- *De narra-* tri parti obnoxio, nullumque narrationis fundamen- *tione re-* tum asleganti, parum creditur, maxime si alii alte- *tum anti-* ri parti additi contradicant. 2) Aliquanto plus, si quarum, *neutrarum* neutrarum partium, & vir prudens & probus sit: *partium,* eiusque narrationi 3) multo maius pondus accedit, *& vir prudens & probus sit:*



si rem certis indubiisque documentis confirmet.

4) Probabilius multo est vnus coaeui, viri probi, prudentis, & qui rei interfuit, testimonium, quam plurium recentiorum. 5) Idque plane summum gradum obtinet probabilitatis, si plures eiusmodi testes, non ex compacto, factum eodem modo fisdemque circumstantiis narrant.

§. CXL.

De modo Ita porro res ipsa & circumstantiae docent, 1) narrandi. minimum probabilitatis gradum obtinere, quae *poëticae*; 2) paullo maiorem, quae *oratoriae*; multo maximum, quae *historice* narrantur, circumstantiis non exaggeratis, sed simpliciter recensitis.

§. CXLI.

De testi- Denique testimonium diuinum, si de eo certo monio constet, summum gradum fidei attingere, ipsique diuino. demonstrationi, seu argumento *αποδεικτικῶν* aequipollere, veracitas ac bonitas Dei, falli ac fallere nescii, vnumquemque conuincit. ‡

‡ Vnde hic non quaeritur, sitne res ita comparata, vt mirabilis vnicuique videri debeat? sed an adsit *eminentia testimonii*? id est, 1) an diuinum hoc sit testimonium? & 2) si diuinum est, an hoc modo necessario intelligendum sit? Quae posterior quaestio ex fundamentis probabilitatis hermeneuticae diudicanda est. (§. CXXXIII.)

§. XLII.

Funda- Proxima est probabilitas MORALIS & POLI-  
mentum TICA, quae quum euentu actionum & inclinatio-  
probabi- num signis nitatur: (§. CXXXII.) & ab vna saepe  
littatis causa vel actionis circumstantia, per Dei providen-  
moralis tiam mutata, totus consilii euentus pendeat, ac prae-  
& poli- terea homines saepe simulent dissimulentque: con-  
ticae. sequens est, vt siue a consiliis ad euentus futuros,  
\* siue ab euentibus ad causas & consilia, siue deni-  
que a signis morum & propensionum ad ipsas pro-  
pensiones argumentum ducamus, ista illatio semper  
futura

futura sit probabilis tantum, & quidem gradu non summo semper, sed aliquando mediocri.

\* Est haec illa *divinatio politica*, qua freti viri rerum ciuilium peritiores futura cecinerunt, tanquam vates. Ciceroni hanc facultatem tribuit Corn. Nep. *in vis. Attici, Cap. XVI.* Quin & ipse de se id narrat in *Philipp. VI. Cap. III. & Lib. VI. ad Fam. Epist. VI.* Plura eius generis exempla collegit Iust. Lips. *Lib. II. Monit. Polit. Cap. IX. monito 3.* Quin & Josephi Iudaei vaticinium de Vespasiani imperio, de quo praeter ipsum Iosephum Suetonius & Dio Cassius narrant, *εὐστοχία* cuidam seu diuinationi politicae tribuit Gottfr. Olear. in *Dissert. de vaticinio Iosephi*, edita Lips. 1699.

## §. CXLIII.

Denique PHYSICAE probabilittatis fundamentum est hypothesis, ex qua phaenomena omnia facile explicantur, (§. CXXXII.) Ac denique physicae.

## §. CXLIV.

Ex quo facile patet, 1) si vel vnum phaenomenon ex hypothesi explicari non possit, eam probabilem non videri, vel saltim vix minimum probabilitatis gradum obtinere. Eius gradus infimus.

## §. CXLV.

Nec minus inde sequitur, 2) vt quo minus subtilis & coacta est ratiocinatio, per quam phaenomena ex aliqua hypothesi explicantur, eo probabilior futura sit hypothesis. Gradus secundus.

## §. CXLVI.

Denique 3) si hypothesis ita comparata est, vt Suppositis iisdem causis idem effectus sequatur, vel eadem phaenomena per artem exhiberi possint, ea summum probabilitatis gradum procul dubio attingit. \*

\* Sic hypothesis Cartesianae de iride paene est *ἀποδεικτική*, quia eius imitatione iris potest repraesentari.

An phy-  
fica phaenomena  
ex hypo-  
thesibus  
meta-  
physicis  
explican-  
da?

tari. Ventum oriri, si aër crassior & compressus in regionem aëris tenuioris incidat, paene certum est, quia ventus hoc modo produci potest per Aeoli pilam. &c.

## §. CXLVII.

At cauendum, ne phaenomena physica explicemus ex hypothesebus *metaphysicis*, nisi quid realitatis illis insit.

## §. CXLVIII.

Differen-  
tia hypo-  
theseos,  
possibili-  
tatis, fi-  
ctionis.

Multoque magis providendum, ne HYPOTHE-  
SIS confundatur cum POSSIBILITATE & FI-  
CTIONE. Sane Epicuri hypothesis de motu ato-  
morum mera est fictio; hypothesis Honorati Fabri de materia planetarum mera possibilitas.

## §. CXLIX.

Quid fi-  
ctio? quid  
possibili-  
tas?

Si nimirum existentia rei, per hypothesis assumptae, nullo modo probari potest, ea est FICTIO; sin existentia rei, quam supponimus, probari potest, at phaenomena aequae ex hac, ac ex alia causa, explicari possunt; POSSIBILITAS tantum inde oritur.

## §. CL.

Quid de  
lecticis  
sentien-  
dum?

Haec sunt vera ac genuina veritatis probabilis fun-  
damenta. Quibus recte intellectis, facile carebimus  
LOCIS illis DIALECTICIS, quos & *topicos* bar-  
bare adpellant. Regulae enim illae seu canones,  
quos inde petunt, ita comparati sunt, ut ex quibus-  
dam aequae demonstratio ac probabilitas, ex aliis ne  
probabilitas quidem peti possit.

## §. CLI.

Quid o-  
pinio,  
praesum-  
tio, con-  
iectura?

Ceterum veritatis probabilis cognitio OPINIO;  
& haec, si ex signis communibus procedit, PRAE-  
SVMTIO: sin ex propriis; CONIECTVRA \*  
adpellatur.

\* *Praesumptio* aequae ac *coniectura* pro diuersis circum-  
stantiis alias aliasque denominationes sortitur. Illa  
enim ubi in deteriorem partem inclinat, SVSPICIO;  
haec

haec si ad res futuras pertinet, DIVINATIO appellatur, cuius pleraque signa, praeter physica, medica & politica, (§. CXLIII.) vix probabilia sunt.

## §. CLII.

Vbi probabilitas cum probabilitate colliditur, nascitur DVBITATIO, quae nihil aliud est quam suspensio iudicii, vel adensus in alterutram partem cohibitio. Quid dubitatio?

## §. CLIII.

Ex quo facile patet, 1) vni rem dubiam videri posse, de qua alter sit certissimus. 2) Dubitationem non confundendam esse cum negatione, quia, qui dubitat, nec adfirmat, nec negat: adeoque 3) eum, qui de mysterio aliquando dubitat, non statim *atheum* aut *profanum*, sed *infirmum fide* esse. 4) Maxime differre dubitationem a *ακρίβει*, quae est dubitatio sine ratione iusta ac idonea, id est, sine collisione probabilitatum. Quid circa illam obseruandum?

## §. CLIV.

Aliquando contingit, vt res vel demonstratiua vel probabilis sit, & tamen nobis oboriatur difficultas, quam ipsi superare non possumus. Tunc magis SCRVPVLVS, quam *dubitatio*, oritur. Quid scrupulus?

## §. CLV.

Vnde colligimus, 1) scrupulum non adensum circa totam rem. \* 2) Non esse hoc acuti ingenii signum, si quis scrupulos plures sibi aliisque mouere, quam eximere, possit. 3) Male actum suspensum, si ei non prius accommodetur adensus, quam scrupulis omnibus exemptis. An is adensus affensus omnem?

\* Ita sexcenti sunt homines pii, qui toti Scripturae fidem habent indubiam, quamuis innumeros scrupulos, qui in quaestionibus geographicis, chronologicis, genealogicis, quin & philologicis, oriuntur, animo euellere non possint.

## §. CLVI.

Denique aliquando rem, quae nobis ipsis probabilis argumentum

ad hominem. bilis non est, aliis possumus probabilem reddere, si ratiocinemur ex hypothesi, ab ipsis recepta. Quae ratiocinatio dicitur ARGUMENTVM *κατ' ἀνθρώπων*, seu AD HOMINEM. \*

\* E.g. quemquam hominum posse noua biblia condere, nemini nostrum probabile erit. At, qui credunt, esse hominem, qui possit novos fidei articulos condere, iis non poterit non probabilis videri ratiocinatio: *Qui novos articulos fidei condere potest, potest etiam eos exponere in libro, qui in posterum pro norma fidei sit habendus. Liber, qui in posterum pro norma fidei habendus est, erunt noua Biblia. Qui ergo novos fidei articulos condere, & eos in libro exponere potest, potest & condere noua biblia.* En argumentum ad hominem.

## §. CLVII.

Eius effectus. Ea argumentatione *κατ' ἀνθρώπων* utimur vel ad *conuincendos* alios de veritate thesium nostrarum, vel ad *hypothesein* aduersariorum destruendam. Si prius nascerur inde *opinio de veritate* theseos nostrae: \* si posterior; *opinio de falsitate* anti-theseos, adeoque haec argumentatio posteriore casu in probabilitate idem praestabit, quod in demonstratione deductio ad impossibile vel absurdum.

\* Non conuictio. Simul ac enim alter de veritate hypotheseos suae ipse dubitare incipit: argumentatio haec vim suam ac robur amittet. E.g. Romanensium hypothesis est, *infantes haereticorum baptizatos morientes non damnari*. Si inde colligam, ergo & *extra ecclesiam Romanam salutem esse*, argumentatus sum *κατ' ἀνθρώπων*. At simul ac illi reiecerint priorem hypothesein, etiam haec conclusio amittet vires suas.

## §. CLVIII.

Probabilitate saepe. Sic variae ratiocinationes gignunt veritatem probabilem. Harum ratiocinationum si plures concurr-

currant: tam firma saepe haec est probabilitas, vt demon-  
 a veritate demonstratiua parum discrepet. strationis  
 instar est.

CAP. IV.

DE MEDIIS VERITATEM INVENIENDI  
 COMMVNICANDIQVE CVM  
 ALIIS.

SECT. I.

DE MODO VERITATEM MEDITATIO-  
 NE INVENIENDI.

§. CLIX.

Q Vum haecenus de operationibus intellectus Conne-  
 humani, ipsaque natura veritatis satis pro in- xio.  
 stituti ratione actum sit: proximum est, vt quomo-  
 do his intellectus operationibus ad *inuestigandam*  
*proponendamque* veritatem vtendum sit, dicamus  
 paullo accuratius. (§. VI. \*)

§. CLX.

Veritas INVESTIGATVR vel per MEDITA- Quota-  
 TIONEM, vel per LECTIONEM scriptorum plici mo-  
 alienorum, vel per DISPVTATIONEM, seu do veri-  
 comparisonem binarum thesium sibi oppositarum. tas inue-  
 Ita inuenta autem PROPONITVR vel SCR- stigetur  
 BENDO, vel viua voce, DOCENDO. In qui- & propo-  
 bus omnibus, quid obseruandum sit, in sequenti- natur?  
 bus erit dispiciendum.

§. CLXI.

Primum MEDITATIONE inuestigatur veritas, Quid  
 (§. CLX.) per quam nihil aliud intelligo, quam medita-  
*cogitationes, ita ad leges & iusto ordine institutas, vt tio?*  
*nomae semper veritates ex veritatibus semel cognitiss*  
*emergant.*

§. CLXII.

Ordo iste, quem intellectus in cogitando obser- Metho-  
 G § uat, dus syn-

thetica  
vel geo-  
metrica.

uat, quoties in veritatem certam inquirat, vocatur  
**METHODVS SYNTHETICA.** \* Et quia illa  
a geometris potissimum, quin omnibus mathema-  
ticis, striete obseruatur, **GEOMETRICA** etiam  
dici solet.

\* Vulgo equidem *methodum* inquirendi in veritatem  
diuidunt in *syntheticam* & *analyticam*, quarum illa a  
principiis ad conclusiones; *haec* a conclusione ad  
principia procedit. Sed vbi conclusiones notae sunt,  
veritas magis *adplicatur* & *diudicatur*, quam *quaeritur*.  
Igitur *methodus* *analytica* magis ad capita  
sequentia pertinebit.

### §. CLXIII.

Quomo-  
do prae-  
paratus  
quis ad  
meditan-  
dum ac-  
cedere  
debeat?  
Attentio  
quomo-  
do exci-  
tanda?

Hanc adhibiturus primo omnium det operam, vt  
**ATTENTIONEM** iustam adferat, deinde, vt  
mentem a **PRAEIVDICATIS OPINIONIBVS**  
vacuam ad meditationem adplicet.

### §. CLXIV.

Attentionem excitabimus, 1) si, quam praeclara res  
sit veritas, saepius cogitemus, \* 2) si ab aliis cogita-  
tionibus atque occupationibus vacui, & animo tran-  
quillo, ad meditationem accedamus, 3) si festine-  
mus lente, \*\* 4) si ea, quae meditatur, in chartam  
coniiciamus. Multum quoque attentionem pro-  
uehunt 5) solitudo, 6) silentium, 7) tempus matu-  
rinum, & inprimis 8) diuturnum studium earum  
disciplinarum, in quibus facultas bene ratiocinandi  
perpetuo exercetur, quales praecipue sunt mathe-  
maticae.

\* Sincerum veritatis inuestigandae studium vel solum  
attentionem nostram excitabit. Quis enim non at-  
tente contemplatur, quod amat? Cur somnus non  
facile obrepit iis, qui spectant comoedias?

\*\* Aliud est rem *obiter* contemplari, aliud *attente*. Il-  
lud fit a festinantibus, hoc ab iis, qui omnem aciem  
ad rem ita conuertunt, vt eam secundum omnes  
qua-

qualitates, modos, relationes, effecta, contemplantur. An id fieri posset a festinantibus?

§. CLXV.

Quinque praeiudicia AVCTORITATIS & Quomodo prae-  
 PRAECIPITANTIAE veluti tenebras intellectui do prae-  
 offundant, (§. XVIII.) & hinc sequatur, vt, qui se iudicia  
 meditationi accingunt, ab illis vacuos esse oporteat: debelland  
 (§. CLXIII.) per se patet, vtilissimam fore dubi- da per  
 tationem, dummodo 1) ea non sit sceptica, (§. dubita-  
 CLIII, 4) & 2) dubitetur non de criteriis veritatis, tionem?  
 sed de nexu propositionum cum principio, nec 3)  
 prae fracte negetur id, de quo dubitatur. (§. CLIII,  
 2)

§. CLXVI.

Dubitatio haec, tam accurate suis circumscripta Inprimis  
 limitibus, contra opiniones quamplurimas, etiam praeiudi-  
 vulgo receptas, scrupulos iniiciet, teque facile do- cium aue-  
 cebit, 1) & *parentes, & praeceptores tuos, & viros* ctoritatis,  
*magnos, & celebres, & probos, & canitie venerabiles,*  
 aliquando & errasse, & errare posse: contra, 2)  
 nonnunquam & *olitorem esse quaedam opportuna lo-*  
*quutum,* adeoque 3) te nullius auctoritati, tanquam  
 claudum pilae, inhaerere debere.

§. CLXVII.

Nec minus inde perspicias, 4) mentem minus Et prae-  
 attentam facile opinionem receptam, quamuis ab- iudicium  
 sonam, pro veritate, id est, nubem pro Iunone, praeci-  
 amplecti. 5) Veritatem non ita omnibus obuiam, tantiae.  
 ac prope in medio positam esse, vt veluti se spon-  
 te offerat, etiam minus diligentibus, adeoque, 6)  
 ceu pestem fugiendum esse praeiudicium praeci-  
 tantiae, & 7) ea etiam, quae nobis penitus perspe-  
 cta habere videmur, quasi ignota accuratius inue-  
 stiganda esse.

§. CLXVIII.

Ita praeparatus ac veluti praemunitus facile ani- Ordo in  
 madueres, quid tibi, meditationi te accingenti, medita-  
 primo omnium faciendum sit. Quam enim cogni- tione ob-  
 tio



seruan-  
dus.

tio nostra a sensione incipiat, sensio autem, sub di-  
uerfis circumstantiis saepe repetita EXPERIEN-  
TIAM gignat, (§. XXIII.) ex hac denique nobis  
ideas *claras, distinctas, adaequatas* formemus: (§.  
XXV.) primum EXPERIENDVM erit tam diu,  
donec nobis, quoad licet *claram, distinctam*, at-  
que *adaequatam* ideam rei adquisiuerimus. \*

\* Id non modo in rebus naturalibus faciendum, sed & in  
moralibus & ciuilibus. Quemadmodum enim fru-  
stra meditari conaberis de parheliis, nisi in promptu  
sint tuae aliorumue physicorum atque astronomo-  
rum obseruationes atque experientiae: ita non ma-  
gis cum successu aliquo meditaberis de virtute, vi-  
tiis, adfectibus, quin & de republica, iuribus, si-  
milibusque, nisi, quae harum rerum omnium adfec-  
tiones, relationes, fines, effecta sint, experiundo  
accurate didiceris:

#### §. CLXIX.

Primum  
expe-  
riundum.

Ne autem fallat experientia: res ipsa te docebit,  
1) regulas, quas de sensione & experientia non vno  
loco dedimus, (§. XXIII. seq. §. CXV. seqq.) dili-  
genter esse obseruandas. 2) In consilium etiam ad-  
hibendas esse aliorum obseruationes, easque, 3) si  
fieri possit, \* repetendas, vt, an recte se habeant,  
tanto certius scias.

\* Alia enim experimenta instituire facile est, alia vel  
difficilius, vel plane non possunt institui. Sic e. g.  
quae alii de natura aëris, de ebullitione certorum  
oleorum, inter se mixtorum, similibusque phaeno-  
menis obseruarunt, facile repetendo explorare pos-  
sumus: at difficiliorum obseruationes de pa-  
rheliis, parafelenis, cometis, transitu Mercurii per  
Solem, & similes, hoc modo examinabimus, quia  
partim nec quotidiana, nec vbiuis conspicua sunt  
haec phaenomena, partim, si quando contingunt,  
non sine magno instrumentorum apparatu obseruan-  
tur.

§. CLXX.

## §. CLXX.

Quo plures in promptu sunt observationes huiusmodi certae, & accurate collectae, eo pronior nobis viam munivimus ad veritatem. lam enim nihil erit facilius, quam ex illa observationum filva construere DEFINITIONES tot \*, quot opus est ad claram, distinctam, atque adaequatam obiecti ideam adquirendam.

Deinde definiendum.

- \* E. g. Qui aërem definit duce experientia, quod sit *corpus fluidum, tellurem intra certam altitudinem ambiens, & spacia in & supra eam, ab aliis corporibus relicta, occupans, nisi ab alio quodam impediatur*, ei etiam definiendum, *quid sit corpus, quid fluidum, quid atmosphaera, quid altitudo aëris, quid spacium, quid vacuum, quid occupare spacium?* &c. Et quamvis deinde in veritate cum aliis communicanda omnibus his definitionibus forte non opus futurum sit: eae tamen non sunt superuacuae in veritate inveniendae.

## §. CLXXI.

Definitiones *reales* non semper initio statim inveniri possunt, & tunc sufficiunt *nominales*, modo illae ad amissim factae sint. \* (§. XXXVIII. *sequ.*)

An praecise requirantur definitiones

- \* Egrege enim falluntur, qui definitiones nominales ad inveniendam veritatem inutiles existimant. Contentinent sane certas notas, quibus res semper ab omnibus aliis distinguitur. (§. XXXVIII.) Eae notae sunt proprietates essentiales, & hinc non possunt non novas suppeditare veritates.

## §. CLXXII.

Nec minus utile erit, res definitas, si fieri possint, secundum regulas, supra expositas, DIVIDERE, & singulorum membrorum novas condere definitiones. (§. XLIV. *sequ.*) Quo plures enim nanciscimur definitiones: eo plures nobis sunt fontes inveniendae veritatis, modo observemus, quae supra

Hinc porro dividendum.

pra

pra de exploranda definitionum veritate dicta sunt.  
(§. LXIII.)

## §. CLXXIII.

Postea reperienda axiomata. Singulae definitionum partes singulas dabunt praemissas; \* ex quibus, addita noua idea, per regulas ratiocinandi facile elicies AXIOMATA, quae bases sunt reliquarum conclusionum inde deriuandarum. \*

\* E. g. Esto definitio: *Totum est, quod ex omnibus suis partibus constat.* Habes praemissam: *Totum ex omnibus sui partibus constat.* Eam compara cum ideis *maius vel minus esse*, habebis alteram etiam praemissam. Ratiocinaberis ergo: *Quod ex omnibus sui partibus constat, est maius; unaquaque sui parte. Totum ex omnibus sui partibus constat. Est ergo totum maius unaquaque sui parte.* Quae conclusio axioma est.

## §. CLXXIV.

Vnde fluent collaria. Vbi eius generis plura axiomata in promptu fuerint: per regulas conuersionis, (§. LXI. seqq. oppositionis, (§. LXX. seqq.) collatisque nouis ideis, facile reperies COROLLARIA quamplurima, ex quibus tamen ea potissimum, quae vel maximi, vel alicuius momenti erunt, feliges.

\* Esto definitio: *Commodatum est contractus re inritus, quo rem alteri gratis ad certum usum ita concedimus, ut eadem in specie restitatur.* Habebis inter alia hoc axioma: *Commodata res non est abutenda*, alias enim non in specie restitui posset. Ex eo fluent corollaria per conuersionem: *Quotiescumque nobis res datur ita ut abutamur, (veluti in mutuo,) toties non est commodatum.* In re ergo fungibili non est commodatum. Per oppositionem: *Falsum ergo est, commodatam rem absumi posse, adeoque & falsum, mutuum et commodatum non differre*, quamuis Germanis *geliehen* dicatur & *mutuum* & *commodatum*. Per ratiocinationem denique: *Si res commodata non abutenda est, commodatarii erit, eam diligentissime custodire: adeoque, si ea illius culpa vel perit, vel deterior*

terior reddita est, damnum resarcire, nec commodans obstrictus erit, si res exstat, pro ea accipere aestimationem. &c. Sic vnum axioma plura dabit corollaria, si meditationem continuaueris.

§. CLXXV.

Si plures definitiones inter se contenderis: facilius reperies THEOREMATA & PROBLEMATATA. \* Id modo obseruandum, comparandas esse definitiones, quae aliquid inter se commune habebent: alias enim comparabis disparata, nec illis quidquam inuenies, praeter propositiones negatiuas, quas & pueri iam sciunt.

Quomodo inueniri possint theorematata & problemata?

\* Sic, comparatis *mutui & commodati* definitionibus, habebis theorema: *In mutuo, non in commodato, transfertur dominium.* Si contenderis definitiones *commodati & rerum fungibilium*, solues problema: *An in pecunia commodatum consistere possit?* Possit enim, facile intelliges, si pecunia non sit vsualis, sed ex numismatibus rarioribus, quae & sine abusu vtilitatem praestant, constet.

§. CLXXVI.

Et *axiomata* quidem, & *corollaria*, raro aliam demonstrationem requirunt, quam ipsam definitionem. At *theorematata & problemata* ex corollariis, axiomatibus, definitionibus, demonstranda sunt, si vere conuicti esse velimus.

An haec inuentae propositiones egent demonstratione?

§. CLXXVII.

Denique nullum est corollarium, nullum theorema, nullum problema denique, ex quo comparato cum aliis ideis nouae veritates non fluant, si aciem meditationis intenderis.

Quomodo comparando continuanda meditatio?

§. CLXXVIII.

Ita veritates *certae* per meditationem intuentur. Probabiles non aliter reperies, quam si 1) omnia rei phaenomena, quoad fieri potest, experiundo inuestiges, iisque inter se comparatis, 2) de inueni-

Quomodo reperies veritates probabiles?

enda hypothefi labores, ex qua illa explicari poffint; Id enim quoties fieri potest, hypothefis illa erit probabilis, & pro vera tamdiu habebitur, donec meliorem alius oftenderit.

## §. CLXXIX.

Siue hi- Idemque obseruandum erit, siue de *probabilitate* storica, *historica*, siue de *physica*, siue de *politica* vel *moralis*, siue aliae *sis* sollicitus. In *historica* enim conferendae erunt regulae de auctoritate, eiusque gradibus: (§. CXXXVI. *seqq.*) in *moralis* vel *politica* consilia & rei circumstantiae comparanda, & pro hypothefi ponendum, positis huiusmodi consiliis & circumstantiis, talem sequi solere euentum. (§. CXLII.)

## §. CLXXX.

Cur alii Vel maxime tamen in inuenienda veritate probabili, *ingenio*; quemadmodum in reperienda certis certis, *iudicio* opus est. Et hinc non mirum est, alios probabili- in in veritatibus probabilibus, alios in certis, inueniendis esse feliciores.

bus inueniendis feliciores sint?

## S E C T. II.

## DE MODO, VERITATEM PER INTERPRETATIONEM INVESTIGANDI.

## §. CLXXXI.

An legendi sint libri? **N**ON modo autem meditando reperitur veritas, verum eadem etiam ex aliorum libris eruitur. (§. CLX) Equidem si ita ageretur cum humano genere, vt rerum omnium causas & naturam ipsi inuestigare possemus: magna librorum mole aequo animo careremus. Iam quum nec occasio sit, omnia experiundi, & vitae breuitas vetet nos spes inchoare longas: in subsidium omnino adhibenda, quae ab aliis de rebus ad varias scientias pertinentibus scripta sunt. \*

\* Hinc facile patet, quid sentiendum de iis, qui vel omnem librorum lectionem adspernati commendantur.

runt bibliothecam *τριβιβλον*, libros puta *naturae*, *scripturae*, & *conscientiae*, vel paucissima tantum legenda esse, monuerunt.

§. CLXXXII.

Quum itaque legendi sint libri de rebus ad varias scientias pertinentibus, scripti: (§.CLXXXI) consequens est, ut abstinendum sit a libris, qui vel ad vitia irritanda comparati, (*Mor.* §.CCLXXX) vel 2) ad augendam scientiam nostram minus idonei sunt. 3) Ut ne libros quidem, mentem honesta voluptate demulcentes, alio fine evolvere debeamus, quam ut verum inde fructum capiamus. \*

\* Hoc consilio legendi sunt *libri historici, comoediae, satyrici, poetae, libelli eristici, ephemerides eruditiorum, & similes*. Non cortici hic inhaerendum, sed nucleus quaerendus, alioquin in vanam curiositatem, id est, in voluptatem, euadet hoc legendi studium. Praeclara quaedam hanc in rem monita dedit Plutarch. in *libello de audiendis poetis Tom. II. Opp.*

§. CLXXXIII.

Quum deinde scientiae causa legendi sint libri: Quomodo (§.CLXXXIII, 2) consequens est, 3) ut & media, do? librum cum fructu legendi, adhibenda sint, qualia omnino sunt 4) notitia vitae, doctrinae, sectae auctoris, 5) eiusdem institutum, quod vel ex praefatione vel ex hiltoria litteraria discimus, 6) accurata libri partitio, 7) doctrinarum principalium ab illustantibus discrimen, 8) subsidiorum, quae ad explicanda difficiliora loca faciunt, vsus, & 9) quod praecipuum est, meditatio de qualitate & veritate doctrinarum accuratior. \*

\* Nisi enim haec lectioni adiungatur, multae quidem lectionis homo fortassis dici poterit, at non parum occupabitur praecudicatis opinionibus. Quin adfuefiet homo centonibus confuendis, nec facile ad

H bonam

bonam frugem perueniet. Confusionem enim parit lectio promiscua, cui meditatio non accedit. Vid. Seneca *Epist. II.*

## §. CLXXXIV.

An excerptendum?

Quumque memoria sit labilis, vel saltem cum aetate decreseat: \* omnino 10) consultum est, ea, quae meditando bona deprehendisti, in Aduersaria referre, & futuris vñibus seponere.

\* Equidem *memoria* senibus tribuitur: sed *resum*, quae antea contigerunt. (*Mor. §. LXV.*) Quod ad cetera attinet, obliuiosi sunt, & eorum maxime, quae legerunt, audiuerunt, dixerunt, parum memores.

## §. CLXXXV.

Quomodo?

Quaeris tu, qua potissimum excerptendi methodo utendum sit? Ego vero te ea de re nolim sollicitum esse. Nemo sane sollicitus est de certa methodo, opes & thesauros commode reponendi. Ratio ipsa tibi distabit, optimam esse excerptendi methodum, quae nec nimis operosa est, & res excerptas, quaerenti illas, facile exhibet. Perinde ergo erit, siue res notatu digniores sub certos titulos referas, eorumque conficias indicem, siue eas margini alicuius systematis adscribas. \*

\* Ea excerptendi methodus vel ideo commodissima est, quia sic & res, ad diuersas disciplinas pertinentes, separantur, & non opus est nouo indice, quum vel index ipsi systemati subiunctus, locum, ad quem adscripsisti obseruationes singulas, facile ostenturus sit.

## §. CLXXXVI.

Quaedam circa aduersaria obseruanda.

Ceterum ipsa suadebit prudentia, loca auctorum, vnde singula delibasti, diligenter notanda esse. Si libros ipse possides, & loca sunt prolixiora, recte facies, si eorum tantum sententiam breuiter expresseris. Sin breuiora sunt, & ea vel ex codice aliquo

DE MODO VERIT. PER INTERPRET. INVESTIG. II §

quò MSCto, vel ex libro rariore, & non vbius obuio depromisti, integra omnino describenda erunt, si facere volueris operae pretium.

§. CLXXXVII.

Quum denique libros cum fructu lecturus praecipue adhibere debeat subsidia, quibus ad intelligenda loca difficiliora opus est: (§. CLXXXIII, 8.) eo in primis pertinent regulae de probabilitate HERMENEVTICA, quarum genuinum fundamentum iam supra attigimus. (§. CXXXIII.)

Libros legentibus opus est regulis hermeneuticis.

§. CXXXVIII.

Est enim interpretatio eorum, quae ab auctore vel breuius, vel obscurius, vel negligentius dicta sunt, probabilis & verosimilis explicatio.

Quid interpretatio.

§. CLXXXIX.

Itaque finis interpretationis est, sensum auctoris diuinando adsequi, quem ipse verbis non satis expressit. Quum enim signa cogitationum sint verba, siue ore prolata, siue scripta: contingere potest, vt signa haec non sufficiant rei designandae, siue obscuritas sit 1) in scripturae forma deformi, siue 2) in abbreviationibus vulgo minus notis, siue 3) in sphalmatibus scribarum vel typographorum, siue 4) in defectu vel vitio interpunctionum, siue 5) in verbis obsoletis, nouis, peregrinis, aequiuocis, abruptis, superfluis, perplexis, siue 6) in sententiis contradictoriis, & quae paullo difficilius in concordiam reuocantur. \*

Eius finis

\* Singulas has obscuritatis causas accurate vt solet, recensuit, atque exemplis illustrauit illustri Thomas. In Praxi Log. Cap. III. §. XXXVI-LV: quem & in sequentibus passim non sine ratione sequemur.

§. CXC.

Quum itaque hic in signis explicandis versetur, Regula I. (§. CLXXXIX.) signa autem ad auctorum adfectum & finem comparata esse oporteat: (§. CXXXIII.) consequens est, 1) vt verba interpretanda

de adfectu & finibus scribentis.



tanda sint, secundum statum, adfectum, hypotheses auctoris, qui scripsit. Ut enim duo, quum faciunt idem, non est idem, ita duo, quando idem loquuntur, non idem semper sentiunt. \*

\* Ita nemo dubitat, immortalitatem animae aliud significare *Pythagoreis & Platonis*, aliud *Stoicis*, aliud *Christianis*. Nec negandum, quamuis Ben. Spinoza quaedam de attributis Dei non male dixisse videatur, ea tamen aliter omnino accipienda esse, ac si a Christianis scriptoribus prolata essent.

§. CXCI.

Regula II. de explicare conetur, idque fieri non possit, sine propositionibus: sequitur sane, 2) ut ipsum saepe praedicatum significationem subiecti; subiectum notionem praedicati indicet. †

\* *Talia enim sunt subiecta, qualia permittuntur esse a suis praedicatis; talia praedicata, qualia esse permittuntur a suis subiectis.* Hinc si canero quis mortuus dicitur, plane aliud quid erit cancer ille, quam quem Titius summa cum voluptate comedisse dicitur.

§. CXCII.

Et de Id quod etiam in vocabulis obsoletis, rarioribus, *ἄραξ λ. ἀραξ ἀσχημότητος* interpretandis usum egregium praerogative. *ἄραξ.* \*

\* Ita Bochartus, Iob. Ludolphus & alii ex praedicatis quae *Leuiathani & Behemotho* tribuuntur a Iobo, collegerunt, per illum *crocodilum*, per hunc *hippopotamum* intelligi.

§. CXCIII.

Regula III. de latitet, praedicatum in subsequenter explicetur: consequens est, 3) ut interpres antecedentibus & consequentibus semper in consilium adhibere,

re, nec vnquam textum, si fieri potest, extra con-<sup>quenti</sup>textum considerare debeat. bus.

\* Hinc vel maxime commendare Icti solent comparationem textuum vnus eiusdemque veteris iuris-consulti, ex eodem libro depromptorum, ex quorum nexu saepe perspicuus fit locus, in se obscurissimus. Vid. VV. CC. Hentici Brenkmanni, & Bern. Henr. Reinoldi *Diff. & Orat. de Legum Inscriptionibus*, nec non Iac. Labitti *Vsum Indicis Pandect.* vbi rem exemplis illustrauit. Id quod & Iac. Cuiacius Iac. Gothofredus & hic quidem cum in aliis opusculis suis, tum in luculento *Commentario in Regulas Iuris* & in *Commentariis in Codicem Theodosianum* praeclare praeslitterunt. In exegesi sacra vsu huius regulae erudite ostendit Wolfg. Franzius *de Interpretatione*,

§ XCIV.

Aliquando auctor doctrinam in aliis quoque locis exposuit, & tunc saepe, quod vno loco obscurius dixit, altero multo dilucidius expressit. Ex quo patet, 4) loca auctorum parallela, quae vocant, diligenter esse conferenda, ex iisque genuinam eorum sententiam eruendam, modo ista loca sibi non manifesto contradicant. \*

Regula IV. de locis parallelis.

\* Id quod vel studio & data opera facit auctor, vbi sententiam suam curis secundis emendat, cuius rei exemplum praebent Augustini *libri Retractionum*, vel ex imprudentia, & inaduerfentia animi. Quales sane contradictiones frequentius occurrunt passim quam credas.

§. CXC.V.

Si constet, data opera sententiam mutasse scriptorem, tunc 5) posterior sententia anteferenda est & VI. de priori, id quod tamen 6) in pactis vel ideo non semper obtinet, quia homini non semper libera consilii mutandi facultas est. †

Reg. V. & VI. de diuersis vnus auctoris sententiis.

‡ Aut ergo pactum posterius *inter easdem personas* initum est, aut *cum diuersis*. Si *inter easdem*: posterius omnino tollit prius, quia potuere paciscentes sententiam mutare. Sin *cum diuersis*: prius pactum excludit posterius, quia priori paciscenti ius quaesitum per nouum pactum adimi non potuit. Exemplo esse possunt *sponsalia bina* cum diuersis feminis inita, item *litterae inuestiturae* veteres & nouae inter se discrepantes.

## §. CXCVI.

Et de contradictione auctoris. Sin inconsulto & ex inaduertentia auctor in contradictionem incidisse videatur, (quod tamen, si vlla conciliandi ratio supersit, credere nos non patitur spes, de hominum diligentia concepta,) cessat interpretis officium, ac potius, vtra sententia rectae rationis principis magis consentanea sit, secundum regulas logices discernendum est. \*

\* Vnde facile patet, quid sentiendum sit de quaestionibus: *an in iure dentur antinomiae? quomodo illae conciliandae? An iniuria fiat iuris collectoribus, si istis humani quid accidisse dicas? & similibus*. Longa enim haec tabula est.

## §. CXCVII.

Reg. VII. & VIII. Nonnunquam tamen conciliandi aliqua ratio superest. Et tunc insignem vtilitatem praestabunt regulae: 7) In dubio is sensus eligendus, qui vel nihil absurditatis habet, vel 8) efficit, vt res aliquem effectum fortiatur. \*

\* Non enim probabile est, quidquam dicturum scripturumue hominem ideo, vt sermo vel scriptura effectum non habeat, nisi perspicue adpareat, loquentem aut scribentem vel data, opera iocatum, vel emotae mentis fuisse. Hinc quum a militibus praesidiariis Euboeae deditio ea lege fieret, vt capita ipsis salua essent, perabsurda erat Turcarum cauilatio.

latio, dum dedititios medios dissecabant, sic capita salua fore, in re seria nugantes.

§. CXCVIII.

Quando itaque eum sensum eligendum esse dicimus, ex quo nihil absurdi sequatur: (§. CXCVII, 7) illud non modo intelligendum est de absurditate absolute sed & ex hypothesis tali. Ex quo sequitur, 9) vt verba ita interpretanda sint, ne qui sanae mentis fuit, aliquid contra sensum communem dixisse videatur. 10. Vt interpretationem consentaneam esse oporteat systemati auctoris. ‡

Reg. IX. & X. de absurdo vitando & systemate auctoris.

\* Saepe tamen, vbi temeritas & dolus accessit, verba absurda in poenam, vel tanquam absurda accipiuntur, donec contrarium probatum sit, vel pro non scriptis habentur. Prioris exempla passim occurrunt in delictis iniuriarum & blasphemiae. Vid. Ge. Beyeri *Delin. Iur. Crimin. ad Art. CVI. §. XXIV. p. 172. edit. nou.* Posterius praecipue fit in conditionibus impossibilibus, turpibus, perplexis, quae vltimis voluntatibus adiectae deprehenduntur. L. 1. L. 14. L. 20. pr. L. 27. ff. de cond. inst. L. 45. ff. de hered. inst.

‡ Ita pleraque Spinozae dicta aliud quid sonare, si separatim audiantur, aliud, si cum toto eius systemate comparentur, iam supra obseruauimus. Et haec est illa *analogia fidei*, quam Theologi in interpretandis libris sacris; *analogia iuris*, quam Icti in interpretandis legibus commendant. Alia exempla dedit illustri Thomaf. *Prax. Log. Cap. III. §. 82.*

§. XXCIX.

Ita procedendum omnino, si contradictio quaedam legentes torqueat. (§. CXCIV. \* seqq.) Sineiusmodi contradictio non obseruetur, & verba tamen paullo obscuriora appareant: primum firmiter tenendum, 11) verba tamdiu in genuina & propria notione accipienda esse, quamdiu inde discedendi nulla necessitas est. \* Si autem sic obscuritas tolli

Reg. XI. de significatione verborum & XII. de coniecturis.

nequeat, 12) ad *coniecturas* confugiendum esse, in quibus inveniendis permultum facit *inveroxia* seu ingenii felicitas.

\* Id est, quamdiu inde vel absurdum non sequitur; vel repugnantia cum systemate & analogia auctoris manifesto non observatur. Hinc facile patet, & eos errare, qui miracula fingunt, ubi id textus non urget, e. g. qui praefraete contendunt, Christum a daemone Matth. IV, 8. per aëra raptum: & eos, qui omnia miracula, vel tanquam phaenomena naturalia, vel tanquam somnia & visiones, vel per allegorias interpretanda esse contendunt. Systemati enim sacro & analogiae fidei non repugnare miracula, satis adparet ex Act. II, 22. IV, 30. & locis quamplurimis.

## §. CC.

Vnde **Coniecturae** petuntur aut ex **SVBSTRATA MATERIA**, & tunc observanda ea, quae supra (§. CXCI.) diximus, aut ex **CONIVNCTIS**, veluti antecedentibus, consequentibus, & parallelis, de quibus itidem iam supra (CXCI. *seq.*) actum, aut ex **FINE**, qui auctori ob oculos versatus est.

## CCI.

**Reg. XIII. de inuestiganda ratione legis vel pacti.** Finis hic in *legibus* & *pactis* vocatur **RATIO LEGIS** vel **PACTI**, & hinc adeo praetermitti non potest, ut recte potius dicere soleant Icti, 13) *rationem legis animam eius esse*. Id quod etiam de pactorum interpretatione verissimum est. \*

\* Ratio enim est finis. Fini consentanea debent esse media. Ergo ex fine omnino iudicandum, qualia media esse oporteat. Defendimus hoc Ictorum axiomz in *Praefatione, Elementis iuris secundum ordinem Pandectarum* praemissa aduersus Paganinum Gaudentium. Hinc in *universum cessante fine, media etiam cessare oportet*. In legibus id manifestum. Nam si legislator ob pestis vel alterius luis periculum peregrinos admitti vetat: nemo dubitat, quin, cessante

**DE MODO VERIT. PER INTERPRET. INVESTIG. IAE**

sante illo infectionis periculo, peregrini rursus admit-  
tendi sint. At diximus: *sine in uniuersum cessante*.  
Nam si cessat vno alteroue casu, lex ideo non exo-  
lescit, quia fertur de eo, quod vt plurimum in re-  
bus humanis contingit, L. 3. L. 4. seqq. ff. de legib.  
Hinc e. g. quamuis aliquando impubes ante pilos  
sapiat: non ideo magis tamen is testari poterit, quam  
reliqui eiusdem aetatis adolescentes. Vid. Huber.  
*Posit. ad Pand. Lib. I. Tit. III. §. 14.*

Reg.  
XIV. de  
interpre-  
tatione  
restricti-  
ua, decla-  
ratiua,  
extensi-  
ua.

**§. CCII.**

Quum itaque ratio legum vel pactorum eorumdem  
veluti anima sit: (§. CCI.) consequens est, restricti-  
ua, declaratiua, restrictiua, & EXTENSIVAM recte  
dispositur.

**§. CCIII.**

Vbi enim ratio verbis patet latius, ibi EXTEN-  
SIVAM; vbi verba ratione latiora sunt, RESTRI-  
CTIVAM; denique, vbi verba & ratio pari passu differant,  
DECLARATIVAM interpretationem  
adhibendam esse, facile patet.

\* Eo pertinet regula, quae tam frequenter iactatur:  
*Vbi eadem ratio, ibi eadem iuris dispositio est.* Sed ea  
ad ius tantum commune pertinet, non ad privilegia,  
de quibus constat, quod ad exemplum non trahan-  
tur. L. 1. §. 2. ff. de consis. princip.

**§. CCIV.**

Quumque, vbi verba pactorum vel legum ratio-  
ne latius patent, restrictivae interpretationi locus  
sit: (§. CCIII.) facile patet, in dubio semper  
propensiores nos esse oportere in partem rectae rati-  
oni, virtuti, benignitati, humanitati vel maxime  
conuenientem. Quae ipsa est AEQVITAS illa,  
quam omnes in ore habent, pauci norunt. \*

Reg. XV.  
de aequi-  
tate.

\* Aequitas est virtus correctrix eius, in quo lex propter  
vniuersalitatem deficit. Grot. de Aequ. indulg. & sa-  
cilit.

*cilit. Cap. I. §. 3.* Fundamenta huius correctionis sunt *recta ratio, virtus, benignitas, humanitas*, quae quales sint, ex principiis genuinae philosophiae, & maxime moralis, satis notum est. Si quis ergo nubem pro Iunone, id est, *stupiditatem* pro recta ratione; *vitium* pro virtute; nimiam *indulgentiam & conniventiam* pro benignitate & humanitate amplectitur, hisque falsis principiis interpretationem suam attemperat: nascitur inde AEQVITAS CEREBRIANA, de qua etiam fuse disseruit laudatus Thomas, in *Diff. de Aequitate cerebriana L. 2. C. de rescindenda vendit. Cap. 1.*

## §. CCV.

**Reg. XVI.** de sensu benigniore praefere-  
tendo. Quum ergo in benignitatem propensior sit aequitas: (§. CCIV.) facile patet, 16) in dubio eligendum esse sensum legis benigniorem, eoque referri posse pleraque, quae de interpretatione ODIOSORVM & FAVORABILIVM monuerunt Grotius, Pufendorffius, & ICti tantum non omnes. \*

\* Nemo ignorat, eam regulam impugnasse primum illustrem Thomastum in *Praxi Log. Cap. III. §. CXVI. seqq.* quumque vir doctus Vinc. Placcius, eius patrocinium suscepisset, exarsisse illud certamen, cuius historiam ex ipsis scriptis amoebaeis, *Institutionibus Iurisprudentiae divinae post Librum II. p. m. 372. seqq.* insertis, facite intelliges. Nimirum dari non posse definitiones *favorabilium & odiosorum* accuratas, vel inde patet, quod quae odiosa aliis sunt, aliis favorabilia videntur. Sed vix opus est regula hac, applicatu certe difficillima, si regulam, hoc aphorismo datam, rite intelligamus.

## §. CCVI.

**Regulae de interpretatione mystica.** Sunt hae praecipuae de interpretatione regulae, quibus ad eruendum genuinum auctoris sensum vtimur. De interpretatione MYSTICA non est, quod multa addamus. Nimirum 1) certos nos esse oportet, auctorem id intendisse, vt arcanius quid his

his verbis exprimeret. \* 2) Certo constare debet, physicumne, an historicum, an morale, an propheticum istud sit mysterium, quod sub littera latitat. † Tunc, 3) qui mysterium istud diuinando ita inuenit, vt illud litterae per omnia accurate quadret, is probabiliter † sensum auctoris mysticum censebitur adsequutus.

\* Sic e. g. in cassum laborant, qui disputant acriter, quid arcani in Homeri Iliade & Odyssaea latitet, nisi prius liquidum sit, arcani quid sub istis poëmatibus occultari.

‡ Hinc frustra de explicatione mystica poëmatum Homeri, metamorphoseon Ouidii, cenotaphii notissimi Aeliae Laeliae Crispidis, similibusque laborabis, nisi exploratum prius sit, physica, historica an moralia mysteria in iis quaerenda sint.

† *Probabiliter* dicimus. Res enim plerumque ad coniecturas, quin aliquando ad ingenii lusus redit, nisi pruritus eiusmodi interpretationes venandi prudenter intra rationis limites cohibeamus. Cenotaphium Aeliae Laeliae Crispidis paulo ante memoratum exemplo esse potest luculentissimo. Vtinam autem in his ludicris & nibili rebus subsisteret ingenium humanum! Vtinam non sacra etiam temeraret, fingeretque mysteria, quorum vestigia in sacris libris non exstant!

§. CCVII.

Sed haec de interpretatione *logica* sufficiant. *Grammatica* enim aliis nititur fundamentis, & ab aliis iam satis accurate tradita est, vt quidquam hic addere minus necessarium esse videatur. \* De interpretatione *grammatica*.

\* In primis hic praeclara multa obseruauit Io. Clericus in *Arte Critica*, quamuis & sint in libro, quibus non subscripserim. Dissentire in his licet, quemadmodum idem licuit auctori doctissimo. *Hanc libertatem petimusque damusque vicissim.*



## S E C T. III.

DE RATIONE, VERITATEM PER DIS-  
PVTATIONEM INVESTIGANDI.

## §. CCVIII.

**An disputa-  
tioni-  
bus veri-  
tas inue-  
niatur?** **A**D inuestigandam veritatem comparatae etiam  
sunt DISPVTATIONES, quamuis saepe,  
non tam rei, quam hominum, vitio contingat, vt  
veritas disputando amittatur. \*

\* Tribuendum id partim disputantium adfectibus, *Φε-  
λονησιᾶ*, cauillandi studio, pertinaciae, partim ne-  
glectae methodo. Quemadmodum enim ob illa  
vitia disputationes in rixas & digladiationes sophisti-  
cas; ita ob neglectum ordinem in vagos sermones,  
vel declamationes potius ineptas, id est, in calcem  
sine arena, & Andabatarum pugnas degenerant.

## §. CCIX.

**Quid dis-  
putatio,  
& quis  
eius fi-  
nis?** **DISPVTATIO** est duarum sententiarum, con-  
tradictorie sibi oppositarum, \* id est, theses & an-  
tithecos, accurata & per iustas ratiocinationes fa-  
cta comparatio. Ex qua definitione statim patet,  
finem disputantium esse non oportere vanum glo-  
riolae cuiusdam aucupium, sed veritatis inuestiga-  
tionem.

\* Cur contradictorias propositiones defendere debeant  
disputantes: non obscurum est. Nisi enim hoc fiet,  
contingere poterit, vt vel vterque defendat theses  
omnino verissimas, adeoque Andabatarum more  
pugnet. (§. LXXII.)

## §. CCX.

**In ea  
quid ca-  
uendum?** Quum itaque disputatio ad inuestigandam verita-  
tem comparata esse debeat: (§. CCIX.) facile pa-  
tet, 1) ex illa exfulare oportere odia, fraudes, stra-  
tagemata, conuicia, sophismata, & scurriles inue-  
ctiuas,

Etiam, quibus alter alterum ludibrio exponere studet. Qui enim his armis instructi in arenam prodeunt, dum se inuicem petunt, ipsam veritatem confodiunt, & inter manus veluti strangulant.

## §. CCXI.

Deinde, quum disputatio thesin & antithesin inter se comparet, & quidem contradictorie oppositas: (§. CCIX.) consequens, est, 2) vt RE-uerſiſſimae SPONDENTIS sit, thesin proponere, quae exa-formatio; mini subiicienda sit, OPPONENTIVM autem, eidem opponere antithesin contradictoriam. 3) Vt, si quid obscuritatis inſit theſi, ea a *respondente* alterius rogatu explicanda, & ne in λογισμῶν incidentant disputantes, ambiguitas hoc modo candide tollenda sit. 4) Vt *opponentis* sit, non modo thesin indicare, quam impugnare decreuerit, sed & si paullo prolixior illa videatur, accurate definire, quid in illa impugnare velit. Et haec est illa STATUS QVAESTIONIS FORMATIO, quae primam disputationis partem merito constituit. \*

\* Sine ea nihil fructuosum e disputatione expectandum. Semper enim disputantes a chorda aberrabunt, & alteruter eorum, vbi alia via euadere non potest, dilabatur ad id, de quo non est quaestio. Sane, quod in lite forensi bene instructa est *litis contestatio specialis*, seu responsio ad partes libelli singulas categorica: id in disputatione est *status quaestionis*, seu *controversiae formatio*. Ex vtraque enim, qua de re disputatio sit futura, statim elucet.

## §. CCXII.

Status quaestionis ita formatur, vt distincte ostendat opponens, de quibus propositionibus non modo futura controversia, & quae demum illa sit, de fiat? qua quaestio inter disputantes agitanda sit in posterum. \*

\* E. g. Fingamus, thesin a respondente propositam:  
*Pignus est contractus re initus, bonae fidei, quo res a debito*

*debitore creditori in securitatem crediti traditur, soluto debito in specie restituenda.* Vna quidem haec thesis est, quippe definitio: sed plures alias propositiones complexa. Quamobrem, qui eam impugnaturus est, ostendere debebit, de quibus propositionibus non futura sit controuersia, & quam in specie ipse sub incudem reuocaturus sit. e. g. se 1) *non negare, pignus esse contractum, multo minus, 2) eum contractum esse bonae fidei.* Concedere se etiam, 3) *pignus tradi posse, & 4) si tradatur, id fieri in securitatem crediti.* Denique 5. extra litem esse, *pignus traditum soluto debito restituendum esse.* Vnam superesse quaestionem, de qua iam agendum sit, nempe *an pignus omne sit contractus re initus?* Adfirmari hoc a respondente in thesi, sibi vero veriorum videri antithesin: *Quoddam pignus non esse contractum re initum.* Iam vnusquisque videt, hic Rhodum, hic salrandum esse.

## §. CCXIII.

Quale ar- gumen- tum op- ponen- dum? Iam, quum porro disputatio sit comparatio the- seos & antitheseos accurata, & per iustas ratiocina- tiones facta: (§. CCIX.) consequens est, §) vt iam *opponentis* officium sit, thesin respondentis tali syllogismo \* impugnare, cuius conclusio sit ipsa antithesis in formatione status controuersiae propo- sita. \*\*

\* Magis alii commendant methodum Socraticam, quae per quaestiones procedebat. (*Hist. philosoph. §. XLIX*) Sed praeterquam quod illa iam pridem obsoleuit, & non paucioribus sophistarum abusibus patet, quam methodus hodierna: odium artis syllogisticae redoleat hoc consilium, quum tamen illa non tam ars, quam mentis operatio sit. (§. LXXV.) Et quid, quaeso, interest, siue Socratice quaeras, siue syllogistice ratiocineris? Et quum hoc breuius, expeditius, quum & magis perspicue fieri possit, cur non hoc potius faceres? Exemplum cape hanc disputationem de thesi: *Mens est spiritus.* Finge, SAPIENTEM interrogare, respondere AVDITOREM. *S. An concedas, obsecro, mentem cogitare? A Quid-*  
ni

ni, o vir sapientissime. S. An putas, id, quod cogitas, simile esse lapidi, ligno, auro, argento, an alii cuidam materiae? A. Immo nulli. S. Sed vide, ne erras. Num tu fieri non posse existimas, ut materia quaedam cogitet? Multa efficit materia magnetis, pulveris pyrii, phosphori, quae itidem fortassis fieri posse negares, nisi te sensus convincerent. Quid ergo est, cur magis impossibile putes, materiam cogitare, quam magnetem attrahere ferrum, pulverem pyrium saxa rumpere, phosphorum in tenebris lucere? A. Id video, magis impossibile esse, cogitare materiam, quam illa fieri, quae in magneto, pulvere pyrio, phosphoro observamus, quamvis, me rationem non videre, fatear. S. Periculum, ago, faciamus, an ita rem ad liquidum perducere liceat. Quae effecta in materia miramur, an non ex certa dispositione, forma & quantitate materiae explicari posse intelligis? A. Intelligo. S. Nonne ergo magnetem putas attrahere ferrum, quia eius atmosphaera ferrum ambit, & illud tanquam vorrice suo ad magnetem rapit, vel ex alia simili causa? Nonne manifesto vides, pulveris pyrii particulas inflammatas ita se expandere, ut globum cum fragore protrudant? Nonne intelligis, phosphori quoque lucem non aliunde, quam ex eius materiae dispositione, explicari posse? A. Ita videtur. S. An vero censet etiam, materiam ita disponi posse, ut cogitet? Finge in hoc lignum quamcumque quantitatem, figuram, duritiam, mollietatem, gravitatem, levitatem, quin qualitatem quamlibet, introduci, an cogitabit unquam? A. Immo nunquam vero. S. Vides itaque, materiam non cogitare? A. Immo video. S. Quid ergo cogitat, si id non agit materia? A. Id quod materia non est, quodque spiritum vocare solet humanum genus. S. Quid ergo superest, quam ut mentem nostram dicamus spiritum? A. Immo, talem esse mentem, iam non opinari sed scire mihi videtur. En disputationem Socraticam. Sed quam paucis syllogismis comprehendi possunt illae interrogatiunculae?

\*\* Et hinc pueriles sunt illae conclusiones, ad quas, tanquam ad sacram anchoram, confugiunt oppositae parum exercitati: *Qui hoc statuit, is male agit,*

git, is peccat contra analogiam iuris, is absurde sentit; &c. Potius si opponens velit impugnare thesin supra (§. CCXII. \*) propositam, formato statu controuersiae, ita ratiocinabitur:

*Qui contractus obligat ex solo consensu, is non est contractus re initus.*

*Quidam contractus pignoris obligat ex solo consensu, Quidam ergo contractus pignoris non est contractus re initus.*

Hic conclusio ipsam continet anthithesin, thesi contradictoriam.

#### §. CCXIV.

Argumentum adsumendum.

Ex eodem sequitur, vt 6) *respondentem* iam oporteat opponentis argumentum adsumere vel repetere, \* quod vt facilius fiat, non decet opponentem condere syllogismos prolixos, & quos vel robustissimus agricola, vix sine laterum dolore recitare possit. Quo breuiora sunt tela, eo fortius iis pugnatur cominus.

\* Quod non ostentandae memoriae causa repertum; sed ut adpareat, respondentem opponentis argumentum satis intellexisse. Et sane, qui id intellexit, is admodum infans esset, nisi illud vel iisdem, vel aliis verbis idem significantibus posset repetere.

#### §. CCXV.

Eius forma examinanda.

Iam *respondens* 7) in primis dispicere debet, num forte syllogismi *forma* vitio quodam laboret, quamuis disputantes ea in re hodie plerumque sint negligentissimi. Et tamen neglecto formae vitio ad materiam respondere velle, est laterem lauare, & magno conatu maximas nugas agere. \*

\* Multis exemplis solide id demonstrauit philosophus accuratus, Cornel. Martini *Analys. Logic. Part. I. Cap.*

V. *seqq.* Hinc veteres male soluerunt argumentum Meliū: *Si ens generatur, habet principium. Sed non generatur, non ergo habet principium.* Quum enim respondere debuissent ad formam, ex regulis supra propositis: (§. LXXXVIII, 3) ipsi in materia frustra haeserunt.

§. CCXVI.

Vbi nihil in forma vitii haeret: in alterutra praemissarum latitabit aliquid, quod falsum sit, si falsus est opponentis syllogismus. Et hinc 8) *respondens* negare debet eam propositionem, vel, si nondum, quo tendat opponens, intelligit, eius probationem exigere.

§. CCXVII.

Hic vero iam in vagam declamationem expansa-ri solet opponens, vel plerumque idem per idem *Quomodo ea ab* *μστα πολλῆς φωνητικῆς* probare nititur. Sed male opponit *respondens*, si in ea re adquiescat. Porius iure quodam suo urgebit, 9) vt *opponens* propositionem negatam formaliter probet. \*

\* E. g. in syllogismo supra (§. CCXIII.) proposito neganda esset minor. Iam male ageret opponens, si loco probationis in locum communem excurreret, & prolixè doceret, promissa omnia iure naturae esse seruanda, distinctionem inter contractus reales, verbales, litterales, consensuales, ad subtilitates iuris Romani pertinere, idque a viris doctis iam pridem esse demonstratum. Rectius minorem suam ita breuiter probabit: *In quo contractu ex solo promisso actio datur ad rem tradendam, in eo obligatio ex solo consensu nascitur. In quodam contractu pignoris actio ex solo promisso datur ad rem tradendam. Quidam ergo contractus pignoris ex solo consensu nascitur.*

§. CCXVIII.

Si ne sic quidem in prosyllogismo omnia recte se habent: vel 10) vitium statim indicandum, vel 11) *An probatio & quous-*

que per- noua probatio alterutrius praemissae exigenda, idque  
 sequen- 12) tamdiu faciendum erit, donec iam ad funda-  
 da? mentum perueneris, quod opponens sententiae  
 suae substrauit. \*

\* Sic in praecedente profyllogismo (§. CCXVII) re-  
 spondens minorem denuo iure negabit. Et hinc op-  
 ponens eam probabit e. g. ex L. I. pr. §. I. ff. de pi-  
 gnoratis. act. Et inde argumentabitur: 1) Si pignus con-  
 trahitur nuda conuentione citra traditionem, alio da-  
 bitur ex solo promisso ad rem tradendam. At contra-  
 hitur nuda conuentione citra traditionem per L. I. pr. ff.  
 de pignoratis. act. Alio ergo tunc dabitur ex solo pro-  
 misso. 2) Si qui aurum ostendens aes creditori dedit,  
 ad aurum tradendum conueniri potest, sequitur, ut ex  
 solo promisso citra traditionem nascatur actio illa pi-  
 gnoratitia. At prius verum est per L. I. §. I. ff. eod.  
 Ergo & posterius. Ita sane iam peruentum eo, ut  
 respondens totum opponentis fundamentum perspicue  
 intelligat, adeoque nihil superest, quam ut respon-  
 sione sua argumentum soluat.

§. CCXIX.

Ad quid Vbi fundamentum opponentis per probationes  
 respon- eius in aprico est: iam ad *respondentem* res redit,  
 dendum? cuius iam officium erit, 13) argumentum soluere.  
 & propositionem aliquam siue in profyllogismis, \*  
 siue in argumento primario negare.

\* Profyllogismi enim continent fundamenta, quibus  
 opponentis argumentum innitur. (§. CCXVIII.)  
 Subrutis fundamentis, omne, quod iis superstru-  
 ctum, corruat, necesse est.

§. CCXX.

Quomo- Respondendum autem formaliter, idque fit vel  
 do re- 14) per CONCESSIONEM, si iam adparet, op-  
 sponde- ponentis argumentum non esse contra thesin, vel  
 tur per 15) per INSTANTIAM, si adducto casu contra-  
 conces- rio ostenditur, propositionem aliquam non esse v-  
 niuer-

niuersaliter veram, \* vel 16) per INVERSIONEM, si ostenditur, ex illa propositione plane thesaurum suam fluere, \*\* vel 17) per DISTINCTIONEM & limitationem.

tionem  
instan-  
tiam, in-  
uerfio-  
nem?

\* E. g. Si opponens vsus esset argumento inepto: *Nullus contractus realis est bonae fidei. Contractus pignoris est bonae fidei, (per definitionem) Nullus ergo contractus pignoris est realis: res ipsa docet, respondendum esse, negando maiorem, eam enim non esse vniuersalem. Facile id doceri posse per instantiam. Commodatum enim & depositum esse contractus reales, & tamen bonae fidei. Ita inter omnes constare, contractus innominatos re iniri. Et tamen b. f. esse permutationem & contractum aestimatorium. §. 28. Inst. de Act. L. 2. de permur.*

\*\* Finge hoc argumento vsus opponentem: *Quod leges ipsae contractibus consensualibus accensent, id ad contractus consensuales omnino referendum est. Pignus leges contractibus consensualibus accensent, (L. 1. pr. ff. de pignorat.) Est ergo pignus ad contractus consensuales referendum. Responderi poterit per inuersionem vel retorsionem: Quod leges ipsae contractibus realibus accensent: id ad contractus reales referendum est. Pignus leges ipsae contractibus realibus accensent. (§. 4. Inst. quib. mod. re contr. obl.) Est ergo ad contractus reales referendum.*

### §. CCLXXII.

Vbi distinctione utitur respondens, 18) ea breuiter explicanda, adplicandaque erit, eoque facto limitandum ex ea argumentum, quod ista distinctione infringere cupit. \*

Quomodo  
distinguen-  
do  
& limi-  
tando?

\* Sic e. g. ad minorem profyllogismi primi (§. CCXVIII. \*) respondendum erit *distinguendo* inter pignus, *latius* & *stricto* acceptum. *Late* acceptum significat omne ius, creditori in re debitoris constitutum, adeoque & hypothecam comprehendit, quae a pignore hoc sensu tantum nominis sensu dif-



ferre dicitur. L. 5. §. 1. ff. de pign. At *stricto* pignus est, ius in re, ab hypotheca diuersum, & quod per traditionem demum nascitur. L. 238. §. 2. ff. de verb. sign. Iam verum quidem est, pignus priore sensu etiam contrahi nuda conuentione, puta per pactum hypothecae. At posteriore sensu, qui hic obtinet, nuda conuentio non sufficit, sed requiritur traditio. Hinc limitandus erit opponentis prosyllogismus: *Si pignus* (stricto dictum, quatenus hypothecae opponitur,) *nuda conuentione citra traditionem constituitur, actio dabitur ex solo promisso.* At *pignus* (stricto dictum, & quatenus hypothecae opponitur,) *nuda conuentione constituitur.* Sic nego minorem.

## §. CCXXII.

Nihil ergo agunt respondentes, qui non vno horum modorum respondendi vtuntur, sed vel vana declaratione satisfacere conantur opponenti, vel loco responsionis in probationem thesios suae excurrunt. Quare quemadmodum illi opponentem, extra oleas vagantem, & sermoni vago laxantem habenas, suo iure monere possunt, vt formaliter opponat: ita & ipsi declamatori recte vrgentur, vt respondeant formaliter. \*

\* Vnde omnino vtilis sunt opponentis interrogationes: *Ad quam propositionem respondes? Concedisne illam, an neas? an distinguis? &c.*

## §. CCXXIII.

Et hucusque alter disputandi actus pertingit. Iam in tertio 19) opponens replicat, si quid habet, quo respondentis solutionem infringere possit.

## §. CCXXIV.

Et quidem 20) si *respondens* totum argumentum *concessit*, ostendendum erit, argumentum omnino *vel mediate, vel immediate, thesi contradicere.* Sin-

Sin 21) per *instantiam* responsum: probandum erit, si responsum vel casus in contrarium adductos ad propositionem suam non pertinere, vel loco instantiae ipsum concedendo *περίπτωσης* sibi obtrudi.

§. CCXXV.

Similiter, si per *inversionem* responsum 22) opponentis erit ostendere, ex propositione sua thesison Quomodo, si per respondentis minime fluere. Ac denique 23) si ille *distinctione* usus fuerit, probare, vel fundamentale *distinctionem* vel eam argumento suo adplicari non posse.

§. CCXXVI.

Replicationem hanc iam 24) iterum formaliter Duplicatione soluit respondens, idque 25) tamdiu fit, donec alter- tione re- uter, quod cum ratione \* obuertat, non habeat. sponden- tis.

\* Cum ratione, dico. Nam qui *Φιλοσοφία* studio disputant, semper habere se simulant, quod obuer- ti possit, quamuis auditores, neutrarum partium, facile animadvertant, utri disputantium aqua haereat, vel vter plane ad incitas redactus sit.

§. CCXXVII.

Vbi hae leges disputandi vtriusque accurate ob- Vnde de seruantur, fieri profecto non potest, quin vel oppo- euentu nens demum in probatione deficiat, vel respondens dis- puta- ad concedenda contradictoria, vel absurda etiam, tionis iu- inuitus adigatur. \* Quo facto, non amplius obscu- dica- rum erit, ex vtra parte stet veritas, dum?

\* *Exempla insignia praebent colloquia bina, vnum Raisbonense inter Hungerum, Tannerum, Gretserum ex vna; & Hunnum eiusque socios ex altera parte habitum: alterum Hemelschenburgense inter theologum incomparabilem, Ge. Calixtum & Iesuitam Hildetensem institutum. In priore enim Iesuitae eo adacti sunt, vt implicarent se contradictoriis: Pontifex summus, quando ex cathedra definiendo sententiam fert, nunquam potest errare, &: Summus Pontifex*

#34. ELEM. LOGIC. P. I. CAP. IV. SECT. III.

*isifex aliquando, ex cathedra definiendo sententiam ferrens, errauit. Item: Caiphas fuit summus pontifex illius anni, quo Christum condemnauit, &: Caiphas illius anni pontifex summus non fuit. vid. Corn. Martin. Analyf. Log. part. II. Cap. III. p. 239. feqq. In pofferiore Calixtus formaliter opponendo ita in angustias rededit Iefuitam, vt contraria simul vera effe, non obfcure prae fe ferret.*

§. CCXXVIII.

Cur de praefidis officio nihil dictum? De PRAESIDIS officio nihil adhuc diximus. Est enim haec persona accessoria, cuius officium est, feroces iuuenes, & extra orbitam euagantes, in viam reuocare. Oportet ergo illum virum accuratedoctum ac prudentem esse. Si talis non est, frustra illi praescribentur regulae, quas, si vel maxime vellet, obseruare non posset.

§. CCXXIX.

Metho- dus ana- lytica. Et haec ipsa est vera METHODVS ANALYTICA, cui in diiudicanda veritate locum esse diximus. (§. CLXII. \*) Est enim illa *meditatio, quae conclusiones ad sua principia, vel phaenomena ad suas hypotheses, tanquam ad Lydium lapidem, examinamus.*

§. CCXXX.

Qualis sit analysi demonstrationis? Ergo quod ad demonstrationem diiudicandam attingit, in eo vertitur tota analysi, vt propositiones in sua subiecta & praedicata soluamus, ratiocinationes secundum formam & materiam; definitiones secundum sensiones, sensiones per experientiam examinemus. Ita enim facile adparebit, an tota demonstrationis series se recte habeat, & si male demonstratum, in qua parte istius catenae latitet vitium.

§. CCXXXI.

Analy- sis hypo- thecos. Eodem modo, in diiudicanda veritate probabili, dispiciendum erit, primum an omnia phaenomena addu-

adducta sint, deinde an illa omnia ex hypothesi data commode possint explicari, ac denique, an non alia in promptu sit hypothesis commodior, ex qua illa phaenomena minore negotio fluere videantur?

S E C T. IV.

DE RATIONE, VERITATEM PERSPICVE PROPONENDI.

§. CCXXXII.

**D**enique eum quoque fructum nos ex logica capere oportet, vt veritatem inuentam cum aliis eo ordine eaque methodo comunicemus, vt hi de ea se conuictos esse fateantur. (§. CLX.)

§. CCXXXIII.

Id fit vel **DOCENDO** viua voce, vel **SCRIBENDO**. Vtrumque pulcrum, & viro sapiente dignum est. Sed, qui ipsi nondum veritatem adsequuti sunt, nec quomodo cum suis principiis connectenda sit, perspexerunt, ii rectius sibi aliisque commensulerent, si illi docendi scribendique pruritus tantisper cohiberent, dum aetas, diuturna meditatio, & vsus, cruda studia ad iustam maturitatem prouexissent.

§. CCXXXIV.

**DOCENTIBVS** duo potissimum incumbunt, 1) vt auditoribus non solum doctrinas suas, sed earum nexum inter se perspicue ob oculos ponant, vt eosdem de illarum veritate ita conuincant, ne de iis cum ratione dubitare possint.

§. CCXXXV.

Quum itaque doctrinae perspicue sint explicandae, id commodissime obtinebit, si 1) accuratas rerum definitiones dederit, quo pacto per illas res ab aliis discernendae sint, ostenderit, 2) si vocabula accuratè explicauerit, & 3) quaecumque tradit, exemplis aptissimis, iucundis & perspicuis illustrarit, denique, 4)

an auditores omnia satis perceperint, data occasione, instituto examine, explorarit.

\* Quum enim haec vocabula auditoribus plerumque incognita sint, & hinc vel maxime confusio oriatur, si ea aliter, ac docens velit, accipiant; omnino docentis erit, eam confusionem pro virili euitare. Hoc plerosque docentes fugit, aut ii saltim infra dignitatem suam fore putant, si in his minimis versentur. Sed minima putanda non sunt, sine quibus maiora non constant. Non puduit magnos theologos, fateri, *theologiam magna ex parte esse grammaticam*: & quo quaeſo cum fructu docebit Ictus, nisi vocabula artis e. g. *satisfactio, constitutum, usus-fructus, usus, habitatio, moram purgare* & sexcenta alia, tironibus cum cura explicarit?

### §. CCXXXVI.

Quae  
perspi-  
cuiam  
hanc im-  
pediant?

Ex eo perspicue adparet, 5) male docere, qui dictando in calamus auditores defatigant, qui 6) ad lingulas doctrinas totas auctorum turmas conscribunt, \* quorum vix nomina recte excipiunt tirones, tantum abest, vt eos euoluere, vel illorum placita diiudicare possint, qui denique 7) variis digressionibus, doctis illis quidem, at parum ad rem facientibus, auditorum animos demulcent, & ita coruos deludunt hiantes.

\* Quamuis prouectioribus haut parum utilitatis adferat optimorum librorum notitia: dici tamen non potest, quantum detrimenti tirones sentiant ex hoc testes citandi cacoetha. Ita enim fit, 1) vt auditores rem ipsam non teneant, sed 2) se satis tamen eruditos existiment, si tantam sibi scriptorum notitiam adquisuerint. Praeterea 3) saepe hi scriptores pugnancia tradunt, adeoque 4) tiro, disciplinae ipsius ignarus, centones consue, omniaque sine iudicio corradere paullatim adsuescet. Denique 5) ita non ipsae disciplinae docentur, sed historia litteraria, quae sane omnem eruditionis ambitum non  
absol-

DE RAT. VERIT. PERSPICUE PROPONENDI. 137

absoluit. Sed tale est saeculum, vt & maxime rudes his phaleris superbiant, & hoc apparatu, aliis sublecto, magnum dent strepitum.

§. CCXXXVII.

Quumque earundem doctrinarum nexus a docentibus perspicue sit ostendendus: (§. CCXXXIV.) do consequens est, 8) vt tale eligendum sit compendium, in quo doctrinae omnes, positionibus brevissimis comprehensae ad sua principia reuocantur. 9) Vt semper inculcandum sit auditoribus, quod modo singulae doctrinae vel cum axioma, vel cum definitione cohaereant. 10) Vt danda docenti sit opera, ne ex diuersis principiis doceat. \*

\* Hoc iis contingere solet, qui, vbi se praelectionibus praeparant, modo hoc, modo illud systema euoluunt, suaque arua ex his lacunis irrigant, parum solliciti, eademne sint illorum auctorum principia, an diuersa & pugnancia.

§. CCXXXVIII.

Quia porro docentis est, auditores de doctrinarum suarum veritate conuincere: (§. CCXXXIV.) auditores per se patet, 11) docentem non auctoritate, \* sed conuincationibus niti, adeoque 12) doctrinas, quas inculcandi, aut accurate demonstrare, aut, 13) si in probabili veritate versetur, eam ex hypothesis perspicua explicare debere. \*

\* Dubitari quidem non potest, quin quaedam disciplinae auctoritatibus nitantur, veluti *historia*: sed non desunt sexcenta compendia, in quibus illae iam adductae sunt. Itaque historia ipsa docenda, & sicubi auctores coaevi vel recentiores in circumstantiis discrepant, in veritatem secundum fundamenta probabilitatis historicae (§. CXXXIV. seq.) inquirendum. De citatione legum in docenda iurisprudentia sententiam nostram aperuimus in *praefatione Elementorum Iuris secundum ord. Pandect.*

## §. CCXXXIX.

**An & aliorum sententiae refellendae?** Si quis ex me quaereret, 14) an docens aliorum dissentientium sententias examinare debeat? distinguerem ego inter *sirones & promecliores*. Illos controuersis difficilioribus fatigare absomum est. His scrupuli etiam, ab aliis iniecti, omnino eximendi sunt. Id quod fiet cum fructu auditorum, si primum sententiam dissentientium candide exposueris, deinde eorum argumenta recensueris sine fuce, ac demum ea ex principiis tuis \* perspicue solueris.

\* Ex tuis dico. Est enim hoc argumentum veritatis eximium, si non modo tuae doctrinae firmissimo nexu cohaerent, sed & aliorum dubia ex iis dextre soluuntur. Qui in arithmetica arte periculum faciunt, an recte subtraxerint, illi id per additionem explorant. Qui, an bene multiplicarint, scire cupiunt, diuisione vtuntur. Ita veritatis signum luculentum est, si falsitas inde refelli possit perspicue.

## §. CCXL.

**Virtutes docentis.** Ceterum ipse docentis finis suadet, 15) omnem adhibendam esse fidem. 16) vitandam prolixitatem nimiam, 17) auditores, qui scrupulos sibi eximipetunt, amanter esse audiendos, 18) eosdem a uoluptate & petulantia, quantum fieri potest, ad virtutem reuocandos.

## §. CCXLI.

**An & nouaturire docentem deceat?** Sunt, qui & saeculo seruiendum, & noua quam maxime docenda esse suadent. † Sed quemadmodum non semper antiqua nouis praeferenda: ita nec noua semper antiquis meliora sunt. Quum ergo vitae, non scholae, discendum sit: consequens est 19) vt nihil innouandum sit, vbi id veritatis studium non exigit. 20) Vt nec innouandum aliquid temere, vbi ex noua doctrina non maior, quam ex vetere, utilitas adfulget, multo minus, 21) vbi non sperandum, nouam doctrinam in praxi aliquid emolumenti esse adlaturam.

† Est

\* Est hoc aucupium, quo nouelli doctores iuuenes alliciunt, similes illis rhetoribus apud Petron. in *Satyr.* p. 3. qui iam pridem eorum arcanum euulgauit: *Adolescens, quoniam sermonem habes non publici saporis, et, quod rarissimum est, amas bonam mentem: non fraudabo te arte secreta. Nimirum in his exercitationibus doctores peccant, qui necesse habent, cum insipientibus furere. Nam nisi dixerint, quae adolescentuli probent, ut ait Cicero, soli in scholis relinquuntur. Sicuti fidei adulatores, cum coenas ditium captant, nihil prius meditantur, quam quod putant gratissimum auditoribus fore, (nec enim aliter impetrabunt, quod petunt, nisi quasdam insidias auribus fecerint,) sic magister, nisi tanquam piscator eam imposuerit hamis escam, quam scierit appetituros esse pisciculos, sine spe praedae moratur in scopulo.*

## §. CCXLII.

Id quod tamen non in eam partem accipiendum An anti-est, ac si inueteratos errores indicare & refellere, quos erroneas esset: sed quod omnia sine necessitate inno- rones de- uantes promiscue, parum consulant discentibus. fendere?

## §. CCXLIII.

Multum docendi onus subleuabunt 22) ordo non Dotes interruptus, 23) eloquentia natua, a loquacitate docentis. probe discernenda, & 25) stilus perspicuus, amoenus, & philosophicus magis, quam declamatorius.\*

\* Quia enim diuersi sunt docentium & declamantium fines, illique audientes *convincere*; hi vel aliquid *persuadere*, vel eloquentiae *famam captare*, vel denique auditorium *oblectare* cupiunt: nihil minus docentes decet, quam concionari, declamare & aures magis demulcere, quam intellectum instruere.

## §. CCXLIV.

Haec generalia docendi praecepta sunt. Quae Cur ad speciatim in singulis disciplinis obseruari oporteat, singulas eos, qui post eam disciplinam probe didicerunt, fa- discipuli- cile nas de-



scendere non liceat? cile docebit vsus & illa iudicandi facultas, quae in doctore primum, secundum, vltimum est.

## §. CCXLV.

Libros De SCRIBENDIS libris praecepta plurima ac scribendi praecipua tradere difficile. cumulare superuacuum foret, partim, quia methodus arbitraria est, partim quia singulae fere disciplinae aliquid singulare habent. Quum itaque ad specialia descendere infiniti res laboris esset: generalia tantum confectabimur.

## §. CCXLVI.

Præcipua scripturionum genera. Qui aliquid, quod ad veritatis cognitionem pertinet, scribunt, ii aut HISTORICÆ quid referunt, aut DISCIPLINAM eiusque partem proponunt, aut aliquid EXPLICANT, aut denique aliorum ERRORES REFUTARE conantur.

\* Hinc non curamus hic libellos *satyricos, poemata, comoedias, tragoedias, fabulas Romanenses,* & huius generis alia, quorum praecepta alibi quaerenda.

## §. CCXLVII.

Historia quotupliciter scribi possit? HISTORIAS qui scribunt, eas vel ad certa *summa capita* referunt, vel totam eius seriem *ordine chronologico* connectunt. Posteriorius & vtilius, & ordini naturali convenientius esse, vnusquisque videt, maxime quum ita facilius consiliorum & euentuum nexus in oculos incurrat, & sic historia vere fiat pragmatica, ac ab illis *λεπτολογίαις*, quæ vulgus historicorum delectatur, perpurgata. Sed prior methodus eo frequentior, quo pauciores historici in chronologica arte vltra Schraderi tabellas sapiunt.

## §. CCXLVIII.

## §. CCXLVIII.

Nihil vero ab historici officio alienius est, quam Regulae fingere, quae nemo memoriae prodidit, iudicia interponere, personarum characteres magis ex suo ingenio, quam secundum rei veritatem, inferere, orationes nunquam habitas comminisci, adfectus mouere, res denique mediocres exaggerare pro bitu. Sunt scilicet haec egregiae artes, quibus Varrillafius, Maimburgius & alii huius furferis scriptores ludibrio humani generis se exposuerunt. \*

\* Conferenda hic omnino, quae de stilo historico commentati sumus in *Fundamentis stili cultioris Part. I. Cap. II. §. LVII.*

## §. CCXLIX.

Qui vel DISCIPLINAM vel eius partem, vel luti doctrinam aliquam specialem, vel veritatem demonstrabilem, proponere cupiunt, quam optime procedent, si exorsi a principiis, iisque probe nitentur, ad conclusiones eo ordine progredientur, ut posteriora ex prioribus & lucem & robur accipiant. Vnde reliquis omnibus praeferenda *methodus mathematica*, vel quae ad illam quam proxime accedit. \*

\* Nec tamen opus est, ut temper more mathematicorum singulas propositiones suis nominibus adpelles, nisi id tua sponte facere velis. Sufficit, si ipsum ordinem, quantum licet, accurate obserues.

## §. CCL.

Si veritates probabiles fuerint proponendae, recte initium capies ab historia phaenomenorum, iisque recensitis, addes aliorum hypotheses, ac his denique expensis, indicatisque, quae illas premunt, dif-

ficultatibus, tuam proponens, eamque phaenomenis omnibus satisfacere, ostendes.

## §. CCLI.

Methodi Non ergo elegantioribus placere poterunt metho-  
scholasti- thodi, quibus olim magnopere delectabantur ho-  
ca, caus- mines, veluti SCHOLASTICA, quae *sylogistice*  
farum, & *formaliter* omnia proponit, methodus CAVSSA-  
erote- RVM, quam Ramillae potissimum probabant, E-  
matica, ROTEMATICA, quae pueris magis & tironibus,  
miscella. quam doctis, prodest, ac denique MISCELLA,  
quae omnia sine ordine, prout calamum subeunt,  
effundit. \*

\* Quid vero de *dialogistica methodo* sentiendum, qua veteres philosophi, Plato, Xenophon, Aeschines, Cicero, mirifice delectabantur? Eam aliquando prudenter adhiberi, iam in *Fundamentis Silli cultioris Part. II. Cap. IV. §. 1.* monuimus.

## §. CCLII.

Quomo- EXEGETICA vbi tractare accurate volueris,  
do exege- *scopus* textus ex occasione illi scribendo data, & hi-  
tica scri- storia, nec non ex antecedentibus & consequenti-  
benda? bus accurate eruendus, *textus ipse*, an recte se ha-  
beat, secundum regulas critices dispiciendum, tum  
porro in partes suas *soluendus*, partesque singulae  
secundum regulas de probabilitate hermeneutica (§.  
CCXLI. *sequ.*) *interpretandae*, ac denique *porisma-  
ta* seu *confectaria*, dogmatica aequae ac elenctica,  
inde eruenda erunt.

## §. CCLIII.

Quomo- Qui denique aliorum scripta refellere conantur,  
do e- its primo omnium incumbit, vt, proposita thesi &  
lencti- antithesi, & vtriusque ostenso discrimine, *apōtes*  
ca? *videt*, seu principium illud falsum, quod auctori  
illusit,

illuſit, proſigent. \* Eo enim proſigato, concluſiones illi ſuperſtructas breuibus ſtricturis confodere licebit, & oſtendere, illas, vel cum ipſo auctoris principio connecti non poſſe, vel ex *αὐτῶν ψεύδους* fluere, vel aliis veritatibus, ab ipſo auctore agnitis, repugnare.

\* Illud plerumque latet in definitionibus & axiomatibus inde male deductis, & hinc iſtae quam accuratiſſime cum ſenſionibus comparandae & expendendae ſunt. Quid ſi auctor non niſi ſcopas diſſolutas vendat? Tunc vero nihil ſuperest, quam vt ratiocinationes illius ſecundum regulas logicas examinemus, earumque abſurditatem in lucem protrahamus.

§. CCLIV.

Ad huius generis ſcripta non temere ſe accingent An hoc homines ſapientes, & tranquillitatis ſuae ſtudioſi, ſcribendi niſi vel officii ratio, vel eorum fama, vel veritatis genere v- ſtudio id exigat. Nec, ſi quid huius generis ſcri- bendum, ruent in conuicia, ſcommata, calumnias, ſed veritatem graui oratione defendent, aliorum ſcommata, calumnias, aut contemnent, aut ſolide reſutabunt, denique nimium petulantes, aut conuictos ignorantiae in ruborem dant, aut plus ſaltum falis, quam fellis, iis adſpergunt.

§. CCLV.

In omnibus hiſ ſcriptis qualem ſtilum adhiberi Quo ſtilo oporteat, alibi docuimus. \* Iam addimus, textum ſcriben- ineptis & minus neceſſariis auctorum citationibus dum? non eſſe interrumpendum, digreſſiones, ad rem non pertinentes, quam maxime fugiendas, adeoque nec ſectandum genus ſcribendi per aphorismos, quorum vocabulis ſingulis magna adnotationum farrago ſubiicitur, quamuis haec in compendiis ſcriben-  
dis

dis laudem mereantur, si talia sint scholia, qualia illa esse oportere, supra monuimus. (§. LXIV.)

\* Conferenda & hic *Fundamenta Stili Cultioris Part. I. Cap. II. §. LVI.*

## §. CCLVI.

Conclu-  
sio logi-  
ges.

Et haec quidem in praesenti sufficiant. Paucas sunt quae diximus: at quae pro saeculi genio plerisque iam nimis multa videbuntur. Nobis hanc operam nauare visum est disciplinae pulcherrimae, quam neglectum sui per omnem vitam seuerissime vindicare, res ipsa docet, & magistra rerum, experientia.

ΑΛΗΘΕΙΝ ΕΝ ΑΓΑΠΗ,



ELE

# ELEMENTA

## PHILOSOPHIAE RATIONALIS ET MORALIS.

### PARS II.

SEV

### PHILOSOPHIA MORALIS.

#### CAP. I.

#### DE PHILOSOPHIAE MORALIS NATURE ET CONSTITVTIONE.

##### §. I.

**Q**uam philosophia sit cognitio non *veri* Ethica tantum, sed & *boni*, (Hist. phil. §. I.) ea pars philosophiae que illius pars, quae circa posterius philosophiae versatur, *practica* adpelletur, (Hist. practi-phil. §. VII.) haec denique in *ethicam*, *caec. politicam* & *oeconomicam* diuidatur: (Hist. phil. §. IX.) iam de ETHICA aliquid praecipere iuuabit.

##### §. II.

Verfatur haec circa *bonum*, eiusque fruitionem generatim (Hist. phil. §. IX.) adeoque definiri potest, quod sit *cognitio boni, vel scientia, ostendens rationem, ad summum bonum eiusque fruitionem perueniendi.* Quid sit?

##### §. III.

Quum itaque sit cognitio boni, (§. II.) cognitio autem, quae certis principiis nititur, scientiam certam generet: (Hist. phil. §. II. \*) & talia certa principia in ethica passim occurrant: An certa sit scientia?

K

currant:

currant: consequens est, vt & moralia cadant sub demonstrationem. \*

\* Negant Aristotelici, & ipse Grot. *de Iure Belli & pac. II, 23. §. 1.* sed ei iam Conringius, Pufendorfius, Lockius satisfecerunt.

## §. IV.

Metho- Quemadmodum autem circa *verum* intellectus; duseam circa *bonum* voluntas magis occupata est: ita faci- docendi le patet, philosophiae moralis esse, voluntatem mo- dogmati- uere ac flectere ad bonum adpetendum. Quia au- ca, par- tem voluntas mouetur vel veris boni notionibus, aenetica vel argumentis, vel exemplis: hinc ethicam in para- DOGMATICAM, PARAENETICAM, & CHARACTERISTI- digmati- CAM \* diuidunt. ca, & caracte- ristica.

\* *Dogmatica* ergo doctrinas de bono & malo conne- cit, atque in iustum systema redigit: *paraenetica* ad- petitum boni excitat sententiis, admonitionibus, ar- gumentis. *Illa* magis intellectum instruit; *haec* vo- luntatem fortius mouet. *Exemplis* meliores redde- re nos conatur *paradigmatica*: iisdem homines discer- nere docet *characteristica*, & illa quidem *specialibus*, haec *generalibus*, exempla vnius generis ad certos cha- racteres reducendo.

## §. V.

Aliae Addunt alii methodum MYTHOLOGICAM, methodi. qua vsus Aesopus, & AENIGMATICAM, HI- EROGLYPHICAM & SYMBOLICAM, qua- rum hanc Pythagoras, illam Aegyptii, istam Ori- entales, & ipsi Hebraei in deliciis habuere. \* Sed hi docendi modi ideo reperti, quod homines non omnes veritatem libenter audiant ab hominibus paullo vilioris conditionis. Nota sunt illa Phaedri ex *Praef. Lib. III. v. 35.*

= Ser-

— *Servitus obnoxia,*  
*Quia, quae volebat, non audebat dicere,*  
*Affectus proprios in sabellas transfudit,*  
*Calumniamque factis elusis iocis.*

- \* Adde de *hieroglyphica* methodo Pierii Valeriani *Hieroglyphica*, de *symbolica* Paulli Patris *Arcana moralia ex Pythagorae symbolis*, de *aenigmatica* Thomae Burnetii *Archaeol. Philos.* p. 339. de *mythologica* denique Sallust. philosophum *de Diis & mundo* Cap. IV. p. 247. sequ. edit. Thom. Gale, & Macrobi. in *Somn. Scip.* Lib. I. Cap. II.

## §. VI.

Quandoquidem porro ethica viam munit ad summum bonum, & coniunctam cum eo veram felicitatem: (§. II.) nemo amplius disciplinam hanc cum IVRE NATVRAE, quod *bonum*, quatenus *Nat. iustum, honestum, decorum* est, considerat, confunder. \*

- \* Et eam tamen confusionem veteres, veluti Aristoteles in *Ethica*, & Cic. in *libris de officiis* vix cuitarunt.

## §. VII.

Nec minus facile erit, ab ethica discerneret POLITICAM & OECONOMICAM, quae, quid vile sit vel *publice* vel *privatim*, disquirunt. Nec non a politica & oeconomica.

## §. VIII.

Ex eadem definitione etiam patebit, quo ordine tradenda sit philosophia moralis. Quamvis enim ea de re sollicite admodum disputarint veteres: \* res ipsa tamen docet, totam rem explicari posse quam commodissime, ea methodo, ut *primam*, qualis sit NATVRA HOMINIS summo bono nondum potiti, consideremus: *deinde* de BONO, ad quod contendit, agamus: ac *denique* MEDIA, quibus ad illud consequendum opus sit, disseramus paullo accuratius. Quo ordine tradenda est ethica?

K a

\* Ve;



- \* Veteres hic strictè inhaeserunt methodo analyticae ; quam, quum primus deferuisset Franc. Piccolomineus, a Jac. Zabarella ceu nouator traductus est. Quod occasionem dedit libello apologetico, qui *Comes politicus* inscribitur. Vid. Hornei *Philos. mor. Lib. 1. Cap. 11. §. VII.* Vinc. Placcius philosophiam moralem *methodo medicorum* tractandam statuit, quem sequutus celeberrimus Io. Franc. Buddeus in Philosophia practica, vbi ethicae veluti *physiologiam, pathologiam, hygienam, semeioticam & therapeutica-* *cam*; iuri naturae & prudentiae status veluti partem *diaeticam* huius medicinae mentis vindicat. Sed methodus arbitraria est, eaque optima, quae simplicissima, & naturae disciplinae quam maxime videtur consentanea.

§. IX.

Eius utilitas.

Denique, quam utilis sit philosophia moralis in vita ciuili & Christiana, \* ex hac ipsa definitione facile colligitur.

- \* Neque enim omnino nihili est, quod dictum a veteribus, in primis Clem. Alexandr. *Strom. Lib. 1. p. 282. προπαρασκευάζειν τὴν Φιλοσοφίαν προδοποιῶσαν τὸν ὑπὸ Χριστοῦ τελειούμενον, praeparare philosophiam, ei dum viam munit, qui a Christo perficiatur.* Demonstrauimus hoc in *Dissertatione de philosophis semichristianis §. I.* & ante nos idem fecere Vinc. Placcius in libello *de praecipuo philosophiae moralis fructu*, Io. Franc. Budd. *in Elem. philos. mor. Cap. VI. §. LIV. sequ.*

## CAP. II.

## DE NATURA HOMINIS MORALI.

## SECT. I.

## DE MENTE.

## §. X.

**H**omo, qui ad veram felicitatem perducendus **Homo**  
 est, non modo **CORPVS** circumfert, in lon- sibi con-  
 gum, latum & profundum extensum, sed in se scius est  
 quoque sentit aliquid, quod cogitet, & non modo substan-  
 res extra se positas per organa sensuum percipiat, tia in se  
 & ab aliis distinguat, verum etiam ideas abstractas cogitan-  
 sibi formet, suarumque perceptionum sibi conscium tis.  
 fit, eas inter se comparet, quin &, vna cognita ve-  
 ritate, alias inde eliciat, ac denique, quod bonum  
 sibi fore iudicavit, siue materiale illud, siue immate-  
 riale ac incorporeum sit, appetat, quod malum,  
 auerfetur.

## §. XI.

Quae experientia satis nos convincit, hominem **Eius par-**  
 conitare ex **MENTE** & **CORPORE**, id est, ex tes essen-  
 substantia cogitante, & altera in longum latum pro- tiales.  
 fundum extensa. Quumque se inuicem tanquam  
 amicis vtantur: vtramque esse oportet partem es-  
 sentialem, nec corpus habendum pro mentis erga-  
 stulo.\*

\* Notandum hoc contra barbaros, Pythagoraeos, So-  
 cratem, Stoicos, qui vel corpus carcerem mentis  
 esse somniabant, vel causam saltem mali omnem  
 imputabant corpori, (Hist. phil. §. XXXIII.) men-  
 tem solam hominis essentiam ingredi existimantes.  
 Quis vero carcerem amat? quis eo tanquam instru-  
 mento vtitur?

## §. XII.

Quumque *mens* cogitet, (§. XI.) cogitare autem *Mentis*  
 sit res percipere, suarumque perceptionum conscien- im mate-  
 tiam rialitas.

150 ELEM. PHILOS. MOR. P. II. CAP. II. SECT. I.  
tiam habere, ea vero adfectio in nullum corpus  
quantumuis subtile, cadat: † eam sane IMMA-  
TERIALEM, adeoque SPIRITVM, id est, ens  
simplex esse, recte colligimus.

† Quum enim corpus sit substantia extensa: omnes  
eius adfectiones a partium figura, dispositione, mo-  
tu pendent. At quocumque modo tibi concipias  
vel figuram vel dispositionem vel motum partium  
corporis, nunquam concipies cogitationem, ergo  
corpus non cogitare, merito colligimus. Add. Bay-  
lii *Dictionnaire historique & critique* sub voce *Lucret.*

### §. XIII.

Et im-  
mortali-  
tas.

Quia autem mens est spiritus, spiritus ens sim-  
plex, & ex nullis elementis compositum: (§. XII.)  
illa quoque dissolui sua natura \* non potest, sed  
semper manet substantia cogitans, & suarum per-  
ceptionem sibi conscia, (§. XI.) & hinc merito IN-  
DESTRUCTIBILIS & IMMORTALIS iudi-  
catur, quantumuis corpus dissoluatur in suas par-  
tes.

\* Deum autem velle mentem destruere vel in nihilum  
redigere, nullo nobis argumento innotescit.

### §. XIV.

Dignitas  
mentis  
prae cor-  
pore.

Si porro mens immortalis est, corpus mortale,  
(§. XIII.) & vtrumque tamen ad hominis essentiam  
pertinet: (§. XI.) multo praestantior mentem  
corpore, adeoque de vera eius felicitate magis,  
quam de huius conditione, cogitandum, nec ta-  
men in hoc saeuendum esse, facile patet. \*

\* Quare errant, qui cum Pythagoraeis, Socrate, Stoi-  
cis, corpus nimis deprimunt. (§. XI. \*) nec minus  
tamen errant, qui illud cum Aristippo ipsi menti pu-  
tant praefendum. (*Hist. philos.* §. LVI.) Laërt. II,  
90.

### §. XV.

## §. XV.

Mens autem & res varias cognoscit, & cognitas Eiusdem appetit vel auersatur. Eam ergo facultatem, qua facultates immateriales & abstractas percipit, diiudicatque, res, vtinam & de iis ratiocinatur, vocamus **INTELLECTVM**: intellectus qua vero ideas rerum materialium olim perceptas & imaginem retinet, reuocat, componit, discernit, **IMAGINATIONEM**.

## §. XVI.

Eodem modo facultas mentis, quae bonum materiae expers appetit, malum auersatur, **VOLUNTAS**; quae in res materiales, quas bonas iudicat, adpetitus fertur, vel ab iis refugit, **APPETITVS SENSITIVVS** dicitur.

## §. XVII.

Quum *intellectus* percipiat, iudicet, ratiocinetur, & quidem de rebus immaterialibus & abstractis, *imaginatio* de materialibus, haec autem sensus diuersi-  
*Intellectus* & *imaginatio* de materialibus, haec autem sensus diuersi-  
 mode adficere possint: consequens est, vt *intellectus* & *imaginatio* hominum diuersa  
 foram saepe diuersissima fit.\*

\* Hinc omnes homines, modo sana ratione vtantur, concipiunt, figuram includi non posse duabus lineis, virtutem esse honestam, corpus constare partibus: at non omnes iudicant, hanc musicam esse suauem, faciem illam esse formosam, cibum istum esse fa-  
 portis eximii.

## §. XVIII.

Quoties mens ratiocinatur de actionibus propriis, Quid & vtum legi conueniant nec ne, disquirit, \* haec intellectus operatio adpellatur **CONSCIENTIA**.

\* Est ergo conscientia vere syllogismus, cuius in maiore propositione *lex*, in minore *factum*, in conclusione *sententia* occurrit. Hinc quo respectu *norma actionum*, *accusatrix*, *testis*, *index* vocari solet, facile patet. Nec magis dubitari poterit, quin errorem ridiculum committant, qui cum Tolado &

aliis conscientiam pro terriculamento, plebi a clericis obiecto, venditant.

## §. XIX.

Ea vel antecessens, vel consequens. Quum ergo vel de *factis praeteritis* vel de *futuris* ratiocinemur: illo casu conscientia CONSEQUENS; hoc ANTECEDENS vocatur. Haec sapientibus propria; illa sapientibus cum stultis communis est.

## §. XX.

Item vel certa, vel probabilis, vel dubia. Si quis deinde ita ratiocinatur, ut rem ad liquidum perducatur, conscientia CERTA; si ex hypothesei aliquid infert, PROBABILIS; si denique vel in maiore, vel minore propositione, aliquid dubii superest, DVBIA vel SCRVPVLOSA audit, contra quam nihil esse faciendum, recte omnino moment sapientes. \*

\* Dissentit hic vir acutissimus, Gottl. Gerh. Titius *Opusculu. XIX. ad Pufendorffii Lib. I. Cap. I. §. VI. de Offic. hom. & civ. p. 59.* Sed eius argumentum inde facile dissolvitur, quod is cui, dum aliquid agit, perinde est, siue id a Deo permixsum, siue prohibitum sit, aperte Deo insultat, eiusque legem pro nihilo reputat.

## §. XXI.

Nec non vel recta, vel erronea; vel bona vel mala. Sic &, prout quis vel recte, vel perperam de actionibus suis ratiocinatur, eatenus conscientia vel RECTA dicetur, vel ERRONEA, quemadmodum & illa, quatenus conclusio vel absolutoria, vel condemnatoria ex ratiocinatione emergit, (§. XVIII. \*) modo BONA, modo MALA vocari solet. \*

\* Caue ergo confundas conscientiam RECTAM & BONAM. Potest enim aliquis recte ratiocinari, qui tamen bona conscientia non gaudet, veluti Dauides, Iudas, Cainus. Nec etiam pro eadem habenda conscientia BONA & TRANQVILLA, item MALA

& MORSVS CONSCIENTIAE, quia & per erroneam conscientiam, licet illa in se non mala sit, tranquillitas illa turbari potest.

## §. XXII.

Quod ad IMAGINATIONEM attinet, quum Memoria illa ideas rerum materialium retineat, reuocet, discernat, componat: (§. XV.) facultas quae illas niscencia, retinet, nobis est MEMORIA; quae easdem reuocat, REMINISCENTIA;\* quae discernit, INDICIVM; quae denique componit, INGENIVM.

- \* Quum vero *reminiscencia* aequae ac reliquae facultates, ex perceptionibus cerebro impressis oritur, ceu paulo post (§. XXIV. *sequ.*) demonstrabimus; una reuocata idea, & altera, cum hac coniuncta, solet recurrere, quae est illa ADSOCIATIO IDEARVM, ex qua varia phaenomena, quae in imaginatione humana obseruamus, explicari possunt.

## §. XXIII.

Et quamuis non temere reperiatur quisquam, quin aliquam harum virtutum particulam a Deo optimo maximo acceperit: tamen quia diuerso gradu permixtae sunt, & in aliis indolens, in aliis ingenium praedominatur: hinc diuersas quoque esse hominum INDOLES, nemo non animaduertit.

## §. XXIV.

Ceterum ex eo, quod imaginatio circa res materiales, intellectus circa immateriales versatur, facile patet, *imaginationem* immediate; *intellectum* mediante abstractione, ex SENSU oriri, & eatenus verum esse, quod veteres aiunt: *nihil esse in intellectu, quod non prius fuerit in sensu.* \*

- \* Quae ergo de *ideis innatis* disputant Platonici, Cartesiani, & alii philosophi, experientiae repugnant, easque, si quid video, accurate profligauit Io. Loockius de *Intell. Hum. Lib. I. Cap. II. & duobus sequentibus.*

K 5

§. XXV.

## §. XXV.

**Quid sensus?** SENSUS est corporum & affectionum, quae extra organum sensorium sunt, perceptio, in organo sensorio orta, & per nervos ad cerebrum, inde ad mentem deriuata.

## §. XXVI.

**Quot sensus sint?** Quumque sensio ista fiat ope organorum sensorum, & eorum quinque reperiamus in corpore nostro: totidem quoque erunt sensationes rerum externarum, GUSTVS, OLFACTVS, AUDITVS, VISVS, TACTVS. Quae tamen non fallant, si requisita ad sentiendum omnia adsint: mens tamen parum attendit, & illis requisitis destituta, facile fallitur.

## §. XXVII.

**Morbi imaginatiois.** Ethinc imaginatio facile incidit in morbos varios, veluti FATVITATEM, STVLTITIAM, INSANIAM, FVROREM, ENTHVSIASMV: quemadmodum &, sensibus fomno sopitis, imaginationi varia SOMNIA illudunt.

## §. XXVIII.

**Voluntatis definitio.** Haec de *Intellectu & imaginatione*. VOLVNTAS est, quae bonum materiae expers appetimus, malum auersamur (§. XVI.) Qualis facultatis quum nobis conscius simus: contra sensum communem philosophantur, qui eam exstate praeracte negant. \*

\* Fecit id Bened. Spinoza *Epist. II. ad Oldenburg. p. 399.* cuius *πῶρον ψῆδος* ex eius systemate facile perspicitur.

## §. XXIX.

**Eiusdem libertas.** Ex quo simul inferimus, voluntatem in se esse liberam, eatenus, vt si in re quadam particulari cognouit boni & mali quiddam mixtum esse, se vel ad appetendam illam vel auersandam possit determinare. \* At in vniuersum voluntas necessario appetit bonum, malumque auersatur. Pleramque illa etiam

etiam seruit imaginationi, nec non pravis inclinationibus & adfectibus, nisi virtute vindice, ex ista seruitute elucetur.

- \* Non ergo hic nobis quaestio est de libertate arbitrii, vel viribus naturae humanae in rebus spiritualibus, quippe quae ad cathedram theologicam pertinet.

§. XXX.

Actus voluntatis sunt varii. Aliquando enim **Et actus** illi in voluntate subsistunt, veluti **VOLITIO**, **varii.** **INTENTIO**, **ELECTIO**, **CONSENSVS**, **VSVS**, **FRVITIO**, qui vocantur actus **ELICITI**. Aliquando extra voluntatem transeunt in alias animi vel corporis facultates, & tunc **IMPERATI** adpellantur. \*

- \* Non alias autem facultates voluntatis imperio subiecit Deus, quam quibus dirigendis est idonea. Hinc voluntas potest imperare intellectui, vt rem accuratius contempletur, non autem, vt circulum sibi concipiat quadratum. Ita & voluntas potest imperare brachio, vt se extendat, non autem sanguini, ne circulum suum absoluat, nec stomacho, vt concoquat cibum. Ex quo sane **DEI** providentia imprimis elucet.

§. XXXI.

Quemadmodum vero *voluntas* in bonis & malis, Nec non quae omnis materiae expertia sunt, versatur: ita differens **ADPETITVS** adpetit vel auersatur res materiales, ita ab approuit illae se imaginationi vel tanquam bonae vel petitu tanquam malae repraesentant. sensitiuo.

§. XXXII.

Prout ergo vel voluntas vel appetitus a rebus externis diuersimode adficitur, diuersi quoque inde **fectus?** nascuntur **ADFECTVS**, per quos intelligimus commotiones voluntatis vel adpetitus, ex repraesentatione boni vel mali ortas, & cum motu sanguinis



guinis & fluoris neruosi extraordinario coniunctas. \*

\* Quod enim sanguis extra ordinem moueatur, ex coloris repentina mutatione; quod fluor neruosus; ex gestibus, motu, robore membrorum, cum adfectu quolibet coniunctis, adparet.

§. XXXIII.

Eorum gradus.

Quum itaque adfectus sint commotiones: (§. XXXII.) sequitur, vt suos habeant gradus, quos non male *propensionem, consensum & impetum* vocaueris. In priore mens fere *passiue*; in posterioribus *actiue* se habet, adeoque his facilius, quam illis, reficitur.

§. XXXIV.

Quomodo mens iis moueatur?

Et quia adfectus ex repraesentatione boni & mali oriuntur, (XXXII.) voluntas autem naturaliter bonum adpetit, malumque auerfatur: (§. XXIX.) dubitari sane non potest, quin in adfectu mens semper a *malo* ad *bonum* moueatur, idque siue verum, siue adparens. Ita recte Budd. in *Elem. Phil. Pract.* II. 2. §. XXXV. *seqq.*

§. XXXV.

Eorum causa & effectus.

CAVSSA itaque adfectuum est repraesentatio boni vel mali: EFFECTVS autem commotio sanguinis & spirituum animalium extraordinaria. (§. XXXII.) In quo statu constitutus homo, nec intellectu satis vtitur, nec imaginatione, \* & ipsum corpus colore, gestu, \*\* membrorum positu, adfectum prodit.

\* Vnde non male veterum non nemo suafit irato, ne quid ageret, priusquam alphabetum Graecum recitaret. Mora scilicet interponenda, nec temere quidquam agendum est, feruente adhuc adfectu.

\*\* Quos gestus le Brun, Gallus iconibus chalcographicis eleganter expressit.

§. XXXVI.

## §. XXXVI.

Nec tamen ideo pro malis habendi sunt adfectus, An adfectus in se  
nec funditus exstirpandi, quod Stoicis placuisse, no-ctus in se  
uimus. (Hist. phil. §. LXXXIII.) Quum enim nihil mali?  
peccati habeat appetere bonum, & auersari malum:  
sane nec adfectus, qui ex repraesentatione boni vel  
mali oriuntur, (§. XXXII.) in se mali esse possunt.

## §. XXXVII.

Ex eodem facile patet, quinam adfectus sint pri- Eorum  
marii. *Appetitus enim boni dicitur AMOR, auer-* classis pri-  
*ratio mali ODIVM.* ma.

## §. XXXVIII.

Aut vero bonum illud vel malum *praeteritum* Secunda.  
est, aut *praesens*, aut *futurum*. *Appetitus boni pra-*  
*teriti* vocatur *DESIDERIVM*, *praesentis*, *LAE-*  
*TITIA*, *futuri*, *SPES*. *Auersatio mali praeteriti*,  
*POENITENTIA*; *praesentis*, *TRISTITIA*; *fu-*  
*turi*, *METVS* dicitur.

## §. XXXIX.

Quumque qui bonum adpetit, de *mediis* illud con-Tertia.  
sequendi, retinendique; qui malum auersatur, de  
mediis illud a se amoliendi laboret: consequens est,  
vt si *media bonum consequendi retinendique facilia* cui  
videantur, *FIDVCIA*; si *difficilia*, *DIFFIDEN-*  
*TIA*; itemque, si *media auerruncandi malum* se  
tanquam *facilia* repraesentent, *AVDACIA*; sin  
tanquam *difficilia* vel *impossibilia* plane, *DESPE-*  
*RATIO* inde nascatur.

## §. XL.

*BONVM* omne verum, quamuis simul *incun-* Quarta.  
*dum*, simul *honestum*, ac *decorum*, simul *utile* sit:  
plerumque tamen vnus respectus prae altero magis  
adficit animum. Quod si ergo imminet bonum ap-  
parenter *incundum*, *VOLVPTAS* † oritur: si bo-  
num apparenter *honestum* vel *decorum*, *AMBITIO*;  
si denique, quod *utile* videretur, *AVARITIA*. Rur-  
sus, quoties malum *honesto* repugnare videtur, *IRA*;  
si

178 ELEM. PHILOS. MOR. P. II. CAP. II. SECT. II.  
si *decoro*, PVDOR; si *incundo* TAEDIVM, si  
denique *visitati* INVIDIA emergit.

‡ Ea si in Venerem tendit, LASCIVIA; si in va-  
riarum rerum parum vtilium cognitionem, CVRIO-  
SITAS; si denique in gulam, LVXVRIA dici  
solet.

§. XLI.

Quinta. Sunt & adfectus, qui e *bono maloque alteri con-*  
*singente* existunt. Ex bono enim amici praesente  
vel praeterito CONGRATVLATIO; ex futuro  
FAVOR; ex malo amici praesente praeterito vel  
futuro COMMISERATIO; ex bono porro, quod  
inimico obuenit, iterum INVIDIA; ex malo ei  
imminente IRRISIO vel *enryaspuania* nascitur.

§. XLII.

Sexta. Nec raro plures adfectus inter se colliduntur aut  
iungunt phalanges. Sic si *amor & metus* concu-  
runt, ZELOTYPIA; si *invidia & ambitio*, AE-  
MVLATIO inde oritur.

§. XLIII.

Quando adfectus in mores  
abcant? Qui adfectus omnes, saepius repetiti, facile in  
animo radices tam altas agunt, vt in habitum de-  
generent, quo casu adfectus, qui olim veluti  
per vices recurrebant, in MORES degenerare so-  
lent.

SECT. II.

DE CORPORE.

§. XLIV.

Mentis & corporis  
nexus. MENS non modo pure operatur, sed & COR-  
PORE, tamquam organo & instrumento, v-  
titur, (§. XI.) & vicissim a corpore varie adficitur.  
Id quod in imaginatione & appetitu sensitivo docet  
experientia. Modum, quomodo mens, id est, sub-  
stantia immaterialis, in corpus agat, & rursus a  
corpore

corpore agi possit in mentem, ignoramus, † quamvis de effectu constet quam certissime.

† Hoc fateri non pudet. Noui, quae sit Aristotelicorum sententia de *systemate influxus physici*: non ignoro Malebranchii aliorumque de *systemate causarum occasionalium*: denique & *systema harmonia praestabilis* ea, quod adhuc tantum strepitum dedit, expendi. Sed hypotheses video, quibus adsumtis, demonstrari possunt phaenomena, an vero illae hypotheses verae sint, semper manebit incertum. Philosophandum hic est, sed paucis. Nam omnino non placet.

### §. XLV.

Quamvis autem corpus variis constet partibus, Corporis *solidis* aequae ac *fluidis*; hae tamen praecipue huc partes pertinent: quia & ad vitam hominis plurimum con-quotup-ferunt, & mentem adficiunt maxime, & solidarum <sup>ces?</sup> veluti seminarium sunt perpetuum.

### §. XLVI.

Nimirum sanguis, generatus ex cibo & potu, Circula- quem quotidie adsumimus, perpetuum obseruat cir- tio san- culum, per venam cauam in dextrum cordis ven- gulinis- triculum, ex eoque per arteriam pulmonarem in pulmones, ex his per venam pulmonarem in sinistram ventriculum cordis, & ex hoc denique per aortam in reliquis corporis partes progrediens, semperque priorem circulum repetens. \* Quod quamdiu fit, *vita hominis vegetativa* salua est.

\* Inuentae obseruataeque huius circulationis laudem vulgo tribuunt Guil. Haruaco. Sed constat tamen, ante eum & Paullum Sarpium & Andr. Caesalpinum hunc sanguinis circulum non ignorasse. Vid. Baelii *Diſt. Hiſt. cris. voce Caesalpinus*. Quin & Hippocratem hic aliquid vidisse, probant ex eius *Lib. II. de Diaeta §. XLV. Libro de flatibus §. XXI. Libro de Alim. §. IV. Libro de Locis in hom. §. VI.*

### §. XLVII.

Eiusdem sanguinis, transitu per vasculosam pul-Flaur- mo- neruofus.

monum substantiam probe comminuti & subacti, pars fere tertia ex sinistro cordis ventriculo per carotides & vertebrales arterias ad cerebrum defertur, vbi liquidum subtilissimum fecernitur, quod in medulla oblongata collectum, nervos subit, \* & ad organa sensoria reliquasque partes delatum, sensum & motum efficit. Qui fluor nervosus, quam diu in nervis rite procedit; *vitam sensitiuam* conseruat.

\* Eos, qui nervis liquidum inesse negant, erudite refellit collega olim coniunctissimus Io. Fr: Hoffm. in *Medic. Ration. Tom. I. p. 467.*

§. XLVIII.

**Eius officia.** Quemadmodum ergo ad efficiendum motum mens vititur musculis, id est fasciculis ex fibris cylindricis mollioribus collectis: ita eadem & organa sensoria ad sensationes adhibet. Vtrobique autem nervorum amplissimus usus est, qui & musculos extendunt vel comprimunt, & ipsarum perceptionum genuina sedes sunt. \*

\* Ita *visus* obiecta se repraesentant in membrana nervi optici expansa, quae alias tunica *retina* vocatur. *Sonus* incidit in membranam internam nervi acustici, quae internas aurium partes inuestit. Ita & *olfactus* fit mediante membrana nervea, quae internas narium partes obducit: *sapor* in extremitatibus nerveis & pyramidalibus linguae; *tactus* denique in nerveis fibrillis & papillis cutis peragitur. Per omnes hos nervos perceptio ad cerebrum, & per hoc ad mentem propagatur.

§. XLIX.

**Sanguinis** Sanguinis porro massa ex variis quidem constat partibus dissimilariis, *phlegmate* puta, *oleo*, *sale* similares. & *terra fixa*, quae operatione chymica facile eliciuntur: \* at has tamen partes non apud omnes eadem proportione mixtas esse, facile eadem operationeprehenditur.

\* San-

- Sanguinem enim exsiccatum & chymico igne tractatum primum *phlegma*, deinde *oleum subtile*, postea *crassius*, fundum petens & empyreumaticum cum *fale volatili*, ac postremo *terram fixam* elargiri, testis locupletissimus est laudatus Hoffm. *Tom. 1. Med. rat. p. 93.*

## §. L.

Deinde nec pulsus omnibus hominibus eundem, Pulsus nec eiusdem capacitatis vasa esse, ipsa experientia & vasorum diuersitas.

## §. LI.

Quum ergo sanguinis circulus sit vitae vegetati- Vnde  
uae fundamentum, (§. XLVI.) & sanguis ramen tempera-  
ex variis constet partibus dissimilaribus, in diuersis menta?  
hominibus diuersimode mixtis, (§. XLIX.) diuersi  
denique sint diuersorum hominum pulsus, & vasa  
diuersissima: (§. L.) consequens est, vt diuersa quo-  
que sit habitudo partium solidarum & fluidarum ad  
circulationem sanguinis perficiendam, adeoque di-  
uersa dentur hominum TEMPERAMENTA.

## §. LII.

Nimirum, vbi *fibrae* sunt tenuiores, & admo- Tempe-  
dum tensae, angustiora *vasa*, *pulsus* celerior & vehe- ramen-  
mentior, & copiosior *materia oleaginosa* vel *sulphu- tum cho-*  
*rea* sanguinem impraegnat: temperamentum voca- lericum.  
tur CHOLERICVM.

## LIII.

Quoties *fibrae* sunt duriores, *vasa* capacia, *pul- Melan-*  
*sus* magnus quidem sed tardior, *sanguis* denique, choli-  
*materia terrestri* copiosiore praeditus: toties nasci- cum,  
tur temperamentum MELANCHOLICVM.

## LIV.

Quando *fibrae* nec laxae nimis sunt, nec iusto Sangui-  
strictiores, *vasa* mediocria, *pulsus* non vehemens, neum.  
at sufficiens tamen, *salinae* denique *particulae* quam  
copiosissimae *sanguini* innatant: temperamentum  
hoc vocabitur SANGVINEVM.

## L

## §. LV.

## §. LV.

Phlegmaticum. Denique, si cui sunt *fibrae* spongiosae & laxae, *vasa* tenuiora, *pulsus* parum vehemens, *sanguis* denique multo *phlegmate* inundatus: ei temperamentum PHLEGMATICVM tribuimus. \*

\* Satis antiqua est doctrina de temperamentis hominum, ceu celeb. Io. Franc. Buddeus singulari *Dissertatione de Hist. Doctrinae de Temperam. homin.* Hal. 1704. 40. demonstravit. Sed nemo tamen veterum eam explicavit accurate, & recentiores, dum particulis sanguinis solis inhaerent, nec fibrarum, vasorum, pulsuum ullam fere rationem habendam putant, praecipua eius capita negligunt.

## §. LVI.

Cur mores animi commercium, ut altera pars alteram diuersimode temperaturam adficiat, (§. XLIV.) mens autem operationes plerumque mediante fluore nervoso peragat, (§. XLVIII) corporis hic denique e subtiliore parte sanguinis in cerebro fecernatur: (§. XLVII) facile patet ratio, cur mores animi temperaturam corporis sequantur. \*

\* Exstat ea de re Claudii Galeni *liber singularis*, ἢ τὰ ψυχῆς ἢ τῶν ταῖς τοῦ σώματος πράξεσιν ἐπεταί, quod mores animi temperamento corporis obsequantur: Tom. V. p. 444. edit. Paris. sed imperfecta tamen adhuc est illa Galeni observatio.

## §. LVII.

Praecipuae inclinationes, cum temperamenti coniunctae. Et quidem, quum motus sanguinis in CHOLE-  
RICIS sit expeditissimus: mens quoque *se effert*, & ipse plena sibi ipsi placet, tanquam domicilio egregio instructa. Mens SANGVINEI ob placidum sanguinis motum semper *bilaris* est: Mens MELANCHOLICI, veluti ruinosum habitans domicilium, tuta omnia *timeat*. Denique PHLEGMATICI animus, veluti angusto inclusus tuguriolo, ad omnia *tardus* ac *languidus* est. \*

\* Tan-

- \* Tantum ergo abest, ut mens ipsa sibi corpus formet, ut corpus eam ad varios mores *determinet*. Id quod contra Sennertum aliosque notandum.

## §. LVIII.

Itaque CHOLERICORVM character est *spes, ambitio, grauitas in moribus, procliuitas ad iram, diligentia in quolibet vitae genere, ac denique iudicium ac rectum.* Character cholericorum.

- \* Quia enim *spes* plena est mens: (§. LVII.) hinc facile maiora adpetit, & hinc *ambitio* oritur. Et quia *ambiciosus* honoris sui studiosissimus: hinc facile *irascitur*. Quum porro ex sanguine subtiliore subtiliores quoque spiritus fecernantur: fieri non potest, quin *iudicio* polleat. Qui autem *honores* & *praerogatiuam* adfectat, simulque pollet *iudicio*, *proculdubio* & *mediis* utetur, quibus ad hunc finem opus est, & hinc *diligentia* & *grauitas morum*.

## §. LIX.

Quumque mens SANGVINEORVM sit *bilis* sanguinis: (§. LVII.) hinc eorum character est *securitas, neorum, voluptas, petulantia, prodigalitas, praecipitantia, spes, metus, procliuitas ad otium, ingenium denique fertile potius, quam bonum.* \*

- \* Hilares delectantur rebus iucundis: inde *voluptas*. Huic repugnant *grauitas morum, parsimonia, labor*; hinc *petulantia, prodigalitas procliuitas ad otium*. Vbi plus sanguinis, ibi spiritus copiosi & agiles: hinc *ingenium*. Quod quando cum *iudicio* non coniunctum est, *securitatem* & *praecipitantiam* inde nasci oportet.

## §. LX.

Quum porro MELANCHOLICORVM *animus* omnia *timent*: (§. LVII.) consequens est, ut cholericorum character sit *tristitia, auaritia, mores rusticorum.*



& *indecori*, *invidia*, *laboriositas*, *memoria* denique *tenacissima* \*.

\* Qui enim *timet*, *tristis* est. Qui *timet*, semper quoque sibi aliquid deesse iudicat, hinc *avaritia*. *Avarus* sibi omnia adpetit, adeoque alterius rebus marcescit opimis: hinc *invidia*. Idem facile sentit, sine labore rem haut parari, hinc *laboriositas*. Homo *avarus* & *laboriosus* parum curat, an aliis placeat, & *invidus* neminem vere amat: inde *ruficitas* & *neglectus decori*.

## §. LXI.

Denique, quum PHLEGMATICORVM anictorum. *mus* sit *tardus* & *languidus*: (§. LVII.) facile patet, eos *pigritye* deditos, *somnolentos*, & nec *virtutum*, nec *vitiorum* eminentium, nec *adfectuum* vehementiorum capaces, nec vlla *intellectus* ac *imaginatio- nis* facultate prae aliis praeditis esse.

## §. LXII.

Mixtura Sed quum porro sanguis ex partibus diffimilari- tempera- bus constet: (§. XLIX.) nemo potest hominum mento- reperiri, qui vno, eoque solo, temperamento sit rum. praeditus, quamvis ex pluribus, quae recensuimus, vnum plerumque praedominetur. \*

\* Quia tamen quae praedominantur, reliqua impo- tentiora fere supprimunt, phlegmaticum quoque re- liqua temperamenta magis impedit, quam vt ad sin- gularem propensionem determinet: hinc tantum duorum praedominantium temperamentorum ratio habetur, nec temere de aliorum, quam trium prio- rum, mixtura quaeri solet.

## §. LXIII.

Hinc CHOLERICO SANGVINEI homines Eius ex- magna virtutis speciem prae se ferunt, paullo mi- mpla. norem SANGVINEO CHOLERICI: CHOLE- RICO MELANCHOLICI, & MELANCHO- LICO CHOLERICI crudeles, & perfidi, sed ma-  
gis

gis tamen hi, quam illi. Denique MELANCHOLICO SANGVINEI & SANGVINEO MELANCHOLICI ad incondita quæuis & ridicula ruunt, in omni vitæ genere inconstantes ac varii.

§. LXIV.

Quandoquidem autem in temperamentis, præter Vnde vasa & pulsus, etiam sanguinis constitutio & fibræ mores rum qualitas in census veniunt; (§. LII. seqq.) per se ætatum; patet, temperamenta paulatim mutari.\* Atque inde est, quod in PVERITIA *phlegmaticum*; in IVVENTUTE *sanguineum*; in AËTATE VIRILI *cholericum*; ac denique in SENECTUTE *melancholicum* se præ reliquis exferat.

\* Eatenus nimirum, ut quod antea infirmius erat, iam potentius adpareat, & quod antea se exerebat quam maxime, id iam minus pelluceat.

§. LXV.

Hinc PVERI *socordes, somnolenti, adfectuum minus capaces*, & freno & calcaribus indigent. IVVENES *voluptati otioque dediti, prodigi aeris, petulantes*, in amicitiiis contrahendis & toto vitæ genere *præcipites*; qui VIRILEM AËTATEM attingerunt, *honorum cupidi, ambitiosi, graues, diligentes* adparent. SENECTUTEM, *meticulosam, avaram, invidiam, morosam*, ac rerum, quæ antea contigerunt, admodum *memorem*, alioquin valde *obliviosam* esse, ipsa experientia docet.

\* Commendandus hic merito Horatius Flaccus, qui in *Arto poet. v. 158: seqq. characteres puerorum; v. 161. seqq. mores iuuenum; v. 166. seqq. studia virorum; v. 169. seqq. senum adfectus & propensiones* egregie describit.

§. LXVI.

Quumque ad mores permultum conferat sanguinis temperies, (§. LI.) sanguinem autem præcipue numerum alteret integra-

rum di- alteret aëris & coeli constitutio: non mirum pro-  
 uerfi mo- fecto est, nationum integrarum diuersa esse tem-  
 res. peramenta, quae, vbi educatio ac consuetudo ac-  
 cedit, facile in mores transeunt. \*

\* Hinc mores *Hispanorum, Gallorum, Germanorum, Italarum, Anglorum, Scotorum, Hibernorum* diuersissimi. Hinc toto vitae genere differunt *Sinensis, Aethiops, & Americanus*. Commendandus *Barclaius*, qui in *Icone animorum*, hic quaedam praecclare obseruauit.

## §. LXVII.

Conclu- Reliquae res extra hominem positae quomodo a-  
 fio sectio- liquid ad mores conferant, alio loco commodius  
 nis (secun- ostendemus.  
 dae.

## S E C T. III.

## DE VARIIS HOMINVM MORIBVS ET VITIIS.

## §. LXVIII.

Conne-  
 tio.

Q Vamuis mens humana non modo *intellectu*, sed & *voluntate* instructa sit: (§. XV. XVI) voluntas autem semper adpetat bonum, malumque auerfetur: (§. XXIX.) tamen, quum bona sint plura, hominesque aliquando mala etiam pro bonis, veluti nubem pro Iunone amplectantur: MORES quoque diuersos inde nasci oportet.

## §. LXIX.

Mores  
 quid?

MORES enim nobis sunt adfectus (§. XLIII.) & propensiones, ex temperamento ortae, (§. LVII, *seqq.*) diuturnaue consuetudine, seu actibus saepe iteratis, confirmatae. \*

\* Quod vbi factum, mores veluti alteram naturam constituunt, vt recte dixerit Horatius *Lib. I. Epist. X. v. 24.*

NA

*NATVRAM expellas furca, tamen vsque recurret.*

§. LXX.

Sunt ergo *mores* duorum generum. Si enim voluntas in *verum* bonum fertur, mores erunt BONI: \* Quotum-  
 fin in *adparens*, MALI. Priores VIRTVTEM; plices?  
 posteriores VITIA adpellamus.

\* Itaque mores bonos hic non accipimus in sensu *vul-*  
*gari*, pro moribus ad regulas decori compositis, sed  
 in sensu *philosophico*, pro inclinationibus voluntatis  
 per veram virtutem emendatae.

§. LXXI.

Enimvero quum voluntas ordinarie seruiat ima- An virtus  
 ginationi & prauis inclinationibus & adfectibus, homini  
 (§. XXIX.) & ex voluntatis inclinationibus mores natura in-  
 nascantur: (§. LXIX.) facile patet, VIRTVTEM sit?  
 homini natura non inesse. Itaque dum hic in natu-  
 ra hominis morali describenda versamur, de VI-  
 TIIS tantum erit agendum.

§. LXXII.

Quandoquidem ergo VITIA sunt inclinationes Vitium  
 voluntatis, quae in bonum adparens feruntur, (§. quid?  
 LXX.) & diuturna consuetudine firmantur: (§.  
 LXIX.) hinc ea non possunt non multiplicia esse.  
 At constat tamen hodie inter omnes tria potissimum  
 esse *vitia capitalia*.

§. LXXIII.

, Bonum enim adparens, in quod mens nondum Cur tria  
 emendata ruit, nobis illudit vel sub specie HONE- vicia ca-  
 STATIS, vel sub specie IVCVNDI, vel sub spe- pitalia?  
 cie VTILITATIS.\*

\* De vero bono morali recte statuebant Stoici, illud  
 simul *honestum, utile, iucundum* esse. Vid. Cic. de  
*Offic. Lib. II. Cap. III.* At ubi hi respectus disiun-  
 guntur, & *utile* vel *iucundum*, sine *honesto*, concipi-  
 tur, vel *honestum* a vera *iucunditate* & *utilitate*  
 seiungitur: bonum tantum erit adparens.

L 4

§. LXXIV.

## §. LXXIV.

Quae-  
nam illa  
sint?

Quando mens in bona adparentia fertur, quae specie *honesti* fallunt, nascitur **AMBITIO**; quoties in ea, quae speciem *boni incundi* induunt, **VOLVPTAS**; denique vbi mens meris *utilibus* capitur, **AVARITIA** emergit. Quae ipsa sunt tria vitia capitalia, \* ac veluti triceps ille Cerberus, qui homines ad orcum rapit.

\* Ea agnouit etiam Ioannes Apostolus in 1. *Epist. cap. II. 16.*

## §. LXXV.

Quid am-  
bitio, &  
quotu-  
plex?

**AMBITIO** est vitium, quod ad honorem & praerogatiuum omnia refert. Quumque alii praerogatiuum sibi vindicent ob res *nibili & indifferentes*; alii ob actiones *turpes*; alii ob singulares *corporis vel animi dotes*, hinc ista ambitio **STVLTA**; illa **BRVTA & THRASONICA**; haec **SPECIOSA** vocari potest. Haec porro, si in persuasione prudentiae consistit, **AVLICA**; si in persuasione doctrinae ac eruditionis, **ERVDITA**; si in persuasione fortitudinis, **MILITARIS**; si denique in persuasione virtutis ac sanctimoniae, **PHARISAICA**; a quibusdam non inepte appellatur. \*

\* Sunt qui sibi placent ob *pulcritudinem*: (nam *fastus inest pulcris, sequiturque superbia formam*;) sunt, quos *opes* sunt denique, quos *potentia* inflat. Sed quum haec res in se *indifferentes* sint, nec hominem meliorem reddant: omnia haec vitia ad ambitionem *stultam* recte referuntur.

## §. LXXVI.

Ambitio-  
forum  
characte-  
res gene-  
rales?

Quum ergo ambitio omnia referat ad honorem & praerogatiuum: (§. LXXV.) consequens est, 1) vt ambitiosi vel parem, vel saltem superiorem non facile ferant. 2) Vt opes adpetant, tanquam instrumentum potentiae. 3) Vt a voluptatibus & petulantia sint alieni, quoad propensionem suae obsequantur.

## §. LXXVII.

§. LXXVII.

Ex eodem principio sequitur, 4) vt, quod ad Circa of-  
RELIGIONEM attinet, ambitiosus singularium ficia erga  
opinionum ac doctrinarum sit amantissimus, & hinc Deum.  
vel in *atheismum* vel in *haeresin*, vel in *hypocrisim*  
crassissimam incidat. \*

\* In *atheismum* ambitioſus natura procliuor est; *hae-  
resin* adfectat, si plausum sectatorum praevidet; *spe-  
ciem pietatis*, quoties id sua interesse existimat, praec-  
se ferre non dubitat. Memorabile P. Corneli Scipionis  
exemplum est apud Liu. *Lib. XXVI. Cap. XIX.*

§. LXXVIII.

Porro inde consequitur, 5) vt ambitiosi ALIOS Erga a-  
non ament, nisi quatenus illos sibi vtilis futuros lios.  
existimant, adeoque 6) amicitias attemperant suis  
commodis. 7) Vt superiores, si eos sibi fauere  
credunt, colant, insidiantibus infidientur, pares por-  
ro sibi conentur subiicere, inferiores denique vel  
auctoritate & metu, vel vi ac crudelitate in officio  
continere studeant.

§. LXXIX.

Praeterea quum ad praerogatiuam omnia referant: Erga se  
(§. LXXV) facile pater, 8) eos esse laboriosos, ac ipsos.  
diligentes, ac 9) iis potissimum studiis deditos, quae  
ad finem eorum praecipue pertinent. Quae 10) eo  
felicius excolunt, quo acriore plerumque polent  
iudicio.

§. LXXX.

Denique ex eodem axiomate sua sponte fluit, 11) Circa de-  
ambitiosos in tota vita decori esse studiosissimos, & eorum.  
12) gravitatem sermone, gestu, incessu, vestitu te-  
stari, atque 13) verborum tamen, quam pecuniae,  
esse parciores. (§. LXXVI, 2.)

§. LXXXI.

VOLVPTAS est vitium, quod in immoderata Quid vo-  
rerum iucundarum cupiditate consistit. (§. LXXIV) luptas, &  
Quumque alii iucundissimum existiment, quod *qu-  
lamplex?*

lam irritat; alii quod *lasciviam* quam maxime provocat; alii, quod *animam* oblectat in speciem: hinc *voluptas* vel BACCHICA, vel VENEREA vel AMICA \* esse dicitur.

\* Huius species est CVRIOSITAS, quae est voluptas, quae in rerum quamplurium iucundarum magis, quam vitium, scientia ponitur. Characterem huius vitii eleganter expressit Plutarch. in *libello περί πολυπραγμοσύνης* seu *de curiositate Tom. II. p. 5.*

## §. LXXXII.

Voluptuosorum characteres generales. Ex ea definitione patet, 1) voluptuosos maxime pati iis omnibus, quae vel sensus vel imaginationem oblectant. 2) Eisdem abhorreere ab omni labore, dolore, periculo, & si quid aliud parum iucundum videretur. 3) Pecuniam iis non ob aliam causam cordi esse, quam quatenus est instrumentum voluptatis, adeoque 4) eos ad prodigalitatem potius, quam *πλεονεξίαν*, proclives, 5) honorumque nec cupidos, nec admodum capaces esse. \*

\* Hinc voluptuosissimos principes magistratu se abdicasse legimus, ut voluptatibus eo indulgerent liberius. Gottfr. Olearii *Diss. de Principe magistratu se abdicante §. VII.*

## §. LXXXIII.

Circa officia erga Deum. Nec minus inde colligas, 5) eos in RELIGIONE esse tepidos, & 6) ad *scepticismum* procliviores, nec 7) cultum divinum magnopere curare, nisi quatenus sensus & imaginationem oblectat. \*

\* Non ergo difficile intelligitur, cur orientales gentes, tanquam voluptuosissimae, sacra tanto caerimoniarum apparatu faciant, & cur simplicior multo fuerit populorum septentrionalium cultus, quam adhuc pago essent dediti.

## §. LXXXIV.

## §. LXXXIV.

Porro inde inferas, 8) eos in amandis ALIIS Erga a) faciles, at inconstantes esse, adeoque 9) amicitios. tias & temere inire, & facile abrumpere, 10) erga superiores eos adulatorio, erga pares facili at inconstanti, erga inferiores indulgenti nimis ingenio esse.

## §. LXXXV.

Nec magis dubium, 11) quin ab omni labore, Erga f) qui sensibus parum iucundus videtur, abhorreant ipsos. quam maxime, & 12) hinc iis studiis se totos mancipent, quae vel sensus, vel imaginationem adficiunt, in quibus etiam eo magis plerumque proficiunt, quo secundiore pollere solent ingenio.

## §. LXXXVI.

Denique inde fluit, 13) voluptuosos in omni Circa d) vitae genere varios, ac 14) grauitatis parum a) corum. mantes, 15) vestitu, incessu, ac gestibus aut molle quid aut dissolutum proderere, praecipue autem 16) eos ad garrulitatem, \* mendacia, calumnias, peruria esse procliues quam maxime.

\* Vitium voluptuosus proprium, & quod statim in oculos incurrit. Eius characteres habes apud Theophrast. in *Charact. mor. Cap. IV. p. m. 574.* & Plutarch. *περὶ ἀδολασχίας*, seu de garrulitate Tomo II. p. 502.

## §. LXXXVII.

AVARITIA est vitium, quod in rerum vitium in- Auaritia explebili cupiditate consistit. (§. LXXXIV.) *Vile* auid, & tem videtur auaris, quidquid in commercio est, quatu- & pretium admittit. Quamuis ergo omnes res, plex? quae sunt in commercio, obiectum auaritiaesse possint: praecipue tamen auari vel supellectilis splendidiore, vel praediorum & opum, vel numerorum possessione sibi placent. Vnde non incommode auaritia in SPLENDIDAM, RVSTICAM & MERCATORIAM diuiditur. \*

\* Ad



\* Ad SPLENDIDAM prouisi sunt, quibus simul multum *sanguinis*; ad MERCATORIAM, quibus haut parum *cholerae*; ad RVSTICAM, quibus plurimum *μολαρχολίας* est.

## §. LXXXVIII.

Auarorum characteres. Hinc 1) sunt parci, & citius ex manu Herculis clauam, quam ex his numum extorseris: \* 2) voluptatum contemptores, quas pecunia constare norunt: 3) honorum denique non ob eorum praestantiam, sed ob lucrum tantum cum iis coniunctum, adpetentes.

\* Quae tenacitas, ubi supremum attingit gradum, in SORDES euadit, quarum characterem in Euclione eleganter exprimit Plautus in *Aulularia*.

## §. LXXXIX.

Circa officia erga Deum. Quum itaque rerum vtilium possessione delectetur avarus: (§. LXXXVII.) facile profecto redderis rationem, 4) cur non alium in finem Deum colat, quam vt eo in accumulandis opibus adiutore utatur, & hinc 5) cultu externo totam religionem meriatur, adeoque 6) ad *superstitionem* sit quum maxime procliuis. \*

\* Quemadmodum *atheismus* in profana Dei negatione; ita *superstitio* in peruerso Dei conceptu & metu numinis feruili consistit. Quum autem characteres superstitionis sint abominandi, veluti crudelitas aduersus dissentientes, idololatria, hypocrisis: non obscurum esse potest, cur fuerint, qui superstitionem atheismo multo esse deteriolem, existimarent. Vid. Plutarch. *περὶ δεσιδαιμονίας*, seu *de superstitione*, & Bayl. *Cogitat. de Comst. & Quaestion. ad prouincial.*

## §. XC.

Erga alios. ¶ (Nec minus inde perspicuum est, 7) avaros esse inui-

inuidos, & hinc 8) morosos, 9) & *μισανθρώπους*, 10) qui nec amicitiam colere, nec amici esse norint, sed 11) ob metum perpetuamque, qua anguntur, suspicionem ab omnibus abhorreant, nisi quos sibi plane putent obnoxios: eosdem denique, 12) quum iniusti, 13) litigiosi, & 14) omnium officiorum humanitatis negligentissimi sint: 15) superiores odio habere, paribus inuidere, inferiores iniustitia & crudelitate a se alienare quam maxime.

\* Eleganter Theophr. in *Charact. Cap. XI. p. 587.*

Οὐκ ἂν ἴδσαι ὕστε σκκοτραγήσαι ἐκ τοῦ αὐτοῦ κήπου, οὔτε διὰ τοῦ αὐτοῦ ἀγροῦ πορευθῆναι, οὔτε ἐλαίαν ἢ Φοίνικα τῶν χαμαῖ πεπυκώτων ἀνελεῖσθαι. *Ficum de suo horto neminem gustare suerit: neminem per fundum suum transire, aut ullam cadiuam oliuam palmulamue auferre.* Nota quoque illa Plutarchi: ἕτε παρὰ νεκρῶ ὀμιλίαν, ἕτε παρὰ Φιλαργύρου χάριν δεῖν ἐπιζητεῖν. *neque a mortuo colloquium, neque ab auaro beneficium expectandum esse.*

§. XCI.

Quin tantum abest vt aliis faueant, vt 16) suum Erga se quoque genium defraudent, 17) laboribus se ultra ipsos. modum excrucient, nec 18) alia studia cordi habeant, quam quae ad rem faciendam videntur pertinere, & ad quae excolenda sufficit memoria, qua in primis pollere auaros, supra diximus.

§. XCH.

Denique odiosissimos reddit 19) vita ab omni e- Circa de- legantia & decoro remota, 20) taciturnitas intem- corum. peltiua, 21) sermo de rebus nihili, 22) incessus incompositus, 23) vestitus parum conueniens, \* 24) gestus denique, ex quibus statim anxietas animi & habendi cupiditas elucet.

\* De hoc quoque egregia quaedam habet Theophrast. *ibid. p. 588.*

§. XCIII.

## §. XCIII.

Quod  
horum  
vitiiorum  
peffim-  
mum.

Tot vitii comitatae incedunt *ambitio, voluptas, auaritia*, quarum quidem nulla reliquis melior, auaritia tamen absurdissima est. Vnde & auarorum character minime omnium societati humanae conuenit. \*

\* Hinc elegans Aristotelis narratio de octo latronibus, qui quum de spoliis contenderent, primum ad quatuor, deinde ad binos, postea ad vnum numero redacti sunt. Ex qua narratione colligit, *ὅτι παρὰ τοῖς ἀνθρώποις τοῖς ἐπὶ τῇ ἰσχυροτέρῃ προαιρέσει ζῶσιν ἰδὲν ἔτε βίβαιον, ἔτε ὅσιον ἐστὶ. hominibus, quorum studia ad auaritiam referuntur, nihil quidquam aut firmum, aut sanctum videri.*

## §. XCIV.

Causa  
vitiiorum

Causa tot vitiiorum in ipsa quidem mente vel in nata omnibus mortalibus praua *φιλαυτία* seu IMPRIMARIA. MODICO SVI AMORE, quaerenda est: nec tamen negari potest, mentem a *temperamentis corporis* ad hoc vel illud vitium capitale praecipue determinari. (§. LVI.)

## §. XCV.

Vnde vi-  
tiorum  
mixtura?

Ex quo sequitur, 1) vt quemadmodum non singulis hominibus singula temperamenta sunt, sed ea diuersimode miscentur: (§. LXII.) ita & vitia illa omnia, diuerso licet gradu, in omnibus hominibus reperiantur. 2) Vt haec ipsa mixtura impediat, quo minus characteres omnes illorum vitiiorum tam palam se semper exferant. 3) Vt, si aequali gradu permixta sint: facile specie virtutis illudant imperitioribus. \*

\* Ita sane mixta voluptati ambitio saepe virtutis laruam induit, ambitione voluptatem, voluptate ambitionem ad mediocritatem reuocante.

## §. XCVI.

Causae

Praeterea ad haec vitia hominem facile abripiunt per-

peruersa EDVCATIO, CONSVETVDO, CON- vitiorum  
 VERSATIO cum aliis hominibus vitiosis, immo secunda-  
 & STATVS diuersi. riae.

§. XCVII.

Quum enim in singulis statibus quaedam bona Quomo-  
 adparentia se repraesentent, & repraesentatio eius- do & ita-  
 modi adfectus excitet, (§. XXXII) adfectus saepe tus diuer-  
 iterati ac diuturna firmati consuetudine in mores si diuersa  
 euadant: (§. LXIX.) facile explicari possunt mo- ducant?  
 res diuersi *imperantium, subditorum, optimatum,*  
*plebis, diuitum, pauperum, sacerdotum, eruditorum,*  
*militum, mercatorum, opificum, agricolarum.*

§. XCVIII.

Quemadmodum autem philosophiae moralis est, An felici-  
 hominem perducere ad veram felicitatem, haec au- tas in vi-  
 tem in fruitione summi bogi consistit: (§. II.) ita tiosos ca-  
 facile patet, vitiis obrutos, & bonis adparentibus dat?  
 inhiantes, (§. LXX) quantumuis sibi beati videan-  
 tur, vere tamen infelicissimos esse.

§. XCIX.

Primo enim, quum *ambitiosi opinionum singula- Vitiorum*  
*rium*, quam veritatis, sint studiofiores; (§. LXXVII) effectus  
*auari* autem ad *superstitionem* (§. LXXXIX.) & circa in-  
*voluptuosi* denique ad *scepticismum* sint proniores: telle-  
 (§. LXXXIII.) quam male se habeant hominum tum.  
 vitiis deditorum *intellectus* & IMAGINATIO, fa-  
 cile vnusquisque animaduertit. \*

\* Hinc *ambitio* & *voluptas* hominem facile ad *furorem*  
 & *insaniam*; *auaritia* ad *enthusiasmum*, *mesum spe-*  
*ctorum*, & *magiae* absurdissimae studium adigunt.

§. C.

Quumque deinde *conscientia* sit ratiocinatio de a-Circa  
 ctionibus propriis, (§. XVIII.) vitiis autem coo-conscien-  
 perti homines, actiones suas legi & rationi aduer-tiam.  
 sari, semper sibi conscii sint: quis non videt, quan-  
 tis conscientiae moribus vexentur, quoties mens  
 eorum

176 ELEM. PHILOS. MOR. P. II. CAP. II. SECT. III:  
eorum in se ipsam conuertitur? Quanam vero felicitas adest, vbi nos ipsi condeinamus?

§. CI.

**Circā voluntatem.** Praeterea quum mens adpetat bonum, & desiderium mentis immortalis non possit non infinitum esse: (§. XIII.) qui fieri potest, vt sitis illa rebus fluxis, id est, opibus, honore, sensuumque titillationibus, restinguatur? An vero felices dixeris, quorum adpetitus vel nunquam exsatiatur, \* vel in taedium & fastidium desinit?

\* Felicem esse est perfrui bono: perfrui bono est illo exsatiari. Qui ergo semper adpetunt, nunquam exsatiantur, non magis felices dici possunt, quam Tantalus, cuius sempiternos cruciatus poëtae in perpetua fame ac siti inter delicias consistere fingebant.

§. CII.

**Circā adfectus.** Quum porro vitiosis perpetuo se repraesentent bona adparentia, (§. LXX) & ex repraesentatione boni AFFECTVS oriantur: (§. XXXII) ambitiosi sane mentem perpetuo agitabit ira; (§. LVIII) voluptuosi spes, metus, (§. LIX.) amor, odium, zelotypia; avari invidia, (§. LX.) metus, desperatio. Inter hos fluctus quae tranquillitas esse potest? quae felicitas?

§. CIII.

**Circā corpus.** Quumque CORPORIS quoque habenda sit ratio: (§. XIV.) quid certius, quam plerosque mortuos, dolores, sensuum ac motuum bebetudines ex vitis oriri? Immo quis mortem iis accelerari ignorat? \*

Differatur hic de Luciani *μαρτυρίαις*, & cur patriarchae ad tantam senectutem peruenierint, postea autem vita hominum semper decreuerit? Cur item in vltimo septentrione & ruri diutius viuant, aut integriore saltim valetudine vtantur homines, quam in vrbibus? Add. Celeb. Thomasiai *Dissert. de iure circa pharmacopolia civitatum* §. XXV.

§. CIV.

## §. CIV.

Et quaenam porro CALAMITATES, non ex Circa ca-  
vitiis proficiuntur? Vnde quaeso *infamia, con-* lamitates,  
*zemtus, carceres, supplicia, paupertas, aes alienum,*  
*inimicitiae*, nisi ex vitiis?

## §. CV.

Quibus omnibus quum mens quam maxime per- Vitiisolo-  
cellatur: (§. XXXII.) illud tamen est longe tri- latio o-  
stissimum, quod omni vero solatio destitutos se in- mnis ex-  
telligunt, quicumque flagitiis suis indulgent. Ne- pertes.  
que enim conscientia eos solatur, (§. C.) neque  
immortalitas mentis, quae, quum semper sui con-  
scia maneat, (§. XIII.) non potest non & vitiis suis  
perpetuo cruciari, neque providentia Dei, quem  
vel non existere credunt, (§. LXXVII. LXXXIII)  
vel sibi parum favere, conscientia iudice, facile in-  
telligunt. \* (§. C.)

\* Commendandus itaque hic in primis est libellus Pli-  
tarchi elegantissimus, *ὅτι εἶδε ἕν ἐσθ' ἡδίστος κατ'*  
*Ἐπίκουρον, quod non suavior vini possit secundum de-*  
*trata Epicuri. Tom. II. p. 1086.*

## §. CVI.

Haec plerumque parum expendunt homines, dum Circa  
adhuc vitiis suis indulgent, nec facile sibi persua- morte;  
deri patiuntur, se tam infelices esse. Sed hoc non  
credere, sed sentire incipiunt, vbi MORS immi-  
net, quae eos ab obiectis, quae maximi fecerant,  
in perpetuum seiungit. \*

\* Quum enim mens & indestructibilis & immortalis  
sit; & hinc maneat substantia cogitans, & suarum  
perceptionum sibi conscia: (§. XIII.) quid infelicius  
mente, quae a bonis apparentibus seiuncta, non  
habet iam, quod amet, praeter Deum, quum hunc  
tamen nec amare, nec ab eo amari possit. Vbi ni-  
hil est, quod amemus, ibi nec sperare quidquam li-  
cet: vbi spes adest, adest desperatio. Itaque mo-  
riens homo praeus, & desperationem & tristitiam  
fem-

sempiternam sibi imminere & praevidet, & reipſa ſentit, ſi aliquo conditionis ſuae ſenſu tangitur.

S E C T. IV.

DE SIGNIS ET CHARACTERIBVS MO-  
RVM ET AFFECTVVM.

§. CVII.

Signa ad-  
fectuum  
& mo-  
rum.

**A**Lia ſunt AFFECTVVM SIGNA: alia MORVM ac PROPENSIONVM. *Illa* enim cum affectu euaneſcunt, ſed non facile diſſimulantur: *haec* fere perpetuo haerent, & non facile mutantur, ‡ ſed diſſimulantur tamen facilius.

‡ Si in ratione itaque conqueritur Medea apud Euripid. in *Med.* v. 516.

Ὁ Ζῆϋ, τί δὴ χρυσοῦν μὲν, δε κίβδηλα,  
Τικμήρι ἀνθρώποισι ἅπασι σαφῆ,  
Ἀνδρῶν δ' ὅτε χρῆ τὸν κακὸν διιδναί,  
Οὐδὲς χαρακτηρ ἰμνιφους σοίματι;

*O Iupiter, quare auri quidem, quod ſit adulterinum,  
Clara ſigna hominibus dedisti,  
Sed quo oporteat diſcerni malum virum,  
Nullum ſignum inditum eſt corpori?*

§. CVIII.

Adfe-  
ctuum  
ſigna  
qualia?

AFFECTVVM praecipuorum ſigna in oculos quam maxime incurrunt, & COLORE, GESTIBVS, INTELLECTV, ipſiſque ACTIONIBVS ſe facile produunt. \*

\* Quum enim affectus moueant ſanguinem & ſpiritus animales, ſeu fluorem neruoſum: (§. XXXII.) non poſſunt non color & geſtus mutari. Et quia affectus etiam intellectum & imaginationem turbant,

bant, (§.XXXV.) & adpetitum vel auersationem  
extraordinariam operantur: in his quoque adfectus  
se prodant, necesse est.

§. CIX.

Ita AMORIS signa sunt rubor, agitatio spirituum Signa  
animalium vehementior, oculi insigne desiderium moris,  
indicantes, & in vnum obiectum defixi, suspiria  
frequentiora, pediloquia, iudicia de obiecto ama-  
to absurdissima, querelae de fortunae iniuriis per-  
petuae, superstitiosa personae amatae veneratio, e-  
pistolae ridiculae, suspiciones denique, lacrymae,  
irae, pax rursus. \*

\* Postremos characteres eleganter expressit Terent,  
*Eun. Act. I. Scen. I. v. 14.*

*In amore haec omnia insunt vitia: iniurias,  
Suspiciones, inimicitiae, induciae,  
Bellum, pax rursus.*

§. CX.

ODIUM se prodit colore pallido, oculis ab ob- Odi:  
iecto auertis, silentio, quoties quis de exo ob-  
iecto bene; loquacitate, vbi male loquitur, iudicia  
finistrora, euitatio colloquiorum, neglectus deco-  
ri, suspiciones, irae ac lites perpetuae.

§. CXI.

LAETITIAM risus, exsultatio, conuersatio Laetitiae  
sponte quaesita, narratio suae felicitatis, promissa & tristi-  
splendida, liberalitas; † TRISTITIAM pallor, tiae.  
oculi deiecti, lacrymae, caput brachio innixum,  
solitudo, consolantium amicorum & omnis volu-  
ptatis auersatio, perpetua denique sui ipsius accusa-  
tio indicant. \*

† Laetitiae characteres in Chaerea praeclare expressit  
Terent. *Eunuch. Act. III. Scen. V.*

\* Expressit tristitiae characterem Idem in *Heduson.*  
*Act. I. Scen. I.*



## §. CXII.

Spei, me-  
tus, de-  
speratio-  
nis.

Ita & SPE pleni alacres, audaces, aliorum contentores; METICVLOSI pallidi, tremuli, corpore contractiore, animo demisso, cauti & suspicaces esse solent. DESPERATI vario colore, oculis furorem praefertentibus, verbis sui aliorumque odium exprimentibus, robore corporis inusitato, ac audacia incredibili, temeritate denique in ad- eundis periculis maxima adfectum indicant.

## §. CXIII.

Ambitio-  
nis, au-  
ritiae, vo-  
luptatis.

AMBITIOSOS supercilium, status corporis ad ostentationem compositus, incessus grauis, simu- latio, decori studium; AVAROS oris habitus, ex quo curae elucet, tristitia, solitudo, querelae de temporum hominumque iniuriis, eorum, qui blan- dius salutant, omniumque voluptatum auersatio, dissimulatio diuitiarum, rerum miniarum cura, lites de meo & tuo, facundia de rebus oeconomicis, in aliis mera infantia, superstilitio, inuidia denique & decori omnis neglectus; \* VOLVPTVO- SOS facies hilarior, ioci & disteria acutiora, ad- fectatum elegantiae ac varietatis studium, miseri- cordia, & liberalitas, ac praecipue procliuitas ad otium, & fuga laboris latitare non patiuntur.

\* Eos, quorum habendi cupiditas plane in fordes de- generauit, graphice in Euclione suo expressit Plaut. in *Aulul. Act. I. Scen. I. II. Act. II. Scen. II. VIII. Act. III. Scen. II. III. IV. V. VI. Act. IV. Scen. II. III. IV. VI. IX. X.*

## §. CXIV.

Irae.

Nullius ferme adfectus characteres magis in o- culos incurrunt, quam IRAE. *Flagrant & micant oculi, multus ore toto rabor, ex aestuante ab imis praecordis sanguine* \* *Labia quatuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subriguntur capilli, spiritus coactus ac stridens, articulorum se ipsum torquentium sonus, gemitus, mugitusque, & parum explanatis voci- bus*

DE SIGNIS ET CHARACT. MORVM ET AFFECT. 181.

*bus sermo praeruptus, & complosae saepius manus, & pulsata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnasque minas agens. Foeda visu & horrenda facies, deprauantium se atque intumescantium. Nescias, utrum magis detestabile vitium sit, an deforme. Ita Seneca de Ira Lib. I. Cap. I.*

\* Atqui iracundi aliquando pallefcunt. Responsum cape. Ira vel *velox* est, quam EXCANDESCENTIAM vocant, vel *sardior*, & *senacior*, quam appellamus IRACUNDIAM, vel denique *lenta & sempiterna*; quam RANCOREM vel AMARITVDINEM dicere iuuat. Haec *Melancholicis*; illa *cholericis*; ista *sanguineis* magis propria est. Ista ruborem extraordinarium, illa mediocrem, haec pallorem excitat.

§. CXV.

Nec minus INVIDIA pallore, oculis toruis & Inuidiae: veluti fascini quid spirantibus, macie corporis, calumniis, solitudine adfectata, & fuga eius, cui parum quis fauet, in sensus incurrit.

§. CXVI.

Nec dubitari potest de PVDORE, vbi suffusus Pudoris. in facie rubor cum oculis coniuuentibus & deiectionis, auerso corporis statu & fuga praesentium coniunctus est.

§. CXVII.

Ridiculi sunt ZELOTYPIAE characteres, quam Zelotum mille suspiria, metus, suspiciones, oculi emissitii in facie. congressibus amicorum, aliquando & desperatio, semper autem aliquid stultitiae comitantur.

§. CXVIII.

Habent & reliqui adfectus sua signa, quae tamen non aeque incurrunt in oculos. Nos iam ad alia signa propensionam progredimur. \* Transitio ad signa morum.

\* Scriptit de la Chambre libellum sub titulo: *Les caracteres des passions*, editum Paris. 1653. 12mo. vbi in praefatione artem cognoscendi homines ad quinque capita

capita reducit, & *primum* quidem ad characteres adfectuum virtutum & vitiorum, *secundum* ad similitudinem hominum & bestiarum, *tertium* ad similitudinem sexuum, *quartum* ad similitudinem gentium sub diuersis climatibus habitantium, *quintum*, quod *sylogisticum* vocat, ad sermonem, incessum, aliaque signa particularia pertinere ait. De similitudine faciei humanae cum ore bestiarum egit etiam Io. Baptista Porta in *Physiognomonicis*, vbi & lineamenta vultuum humanorum bestiis certis similibus depinxit. Sed certiora tamen sunt signa, quae ad capita primum & vltimum pertinent.

§. CXIX.

Ea vel  
physio-  
gnomo-  
nica,  
vel mora-  
lia.

Ea recte distinxeris in **PHYSIOGNOMONICA** & **MORALIA**. *Ill*a sua certitudine haut destitui, fatis patet. Quum enim habitus & motus corporis humani a fluore neruoso pendeant, (§. XLVIII) hic ex sanguine secernatur, (§. XLVII) sanguinis temperamenta diuersa sint, (§. LI.) eaque ad diuersos mores homines determinent: (§. LVI.) negari vix poterit, dari signa physiognomica morum ac propensionum humanarum. \*

\* Euripid. in *Ione* v. 239. seq.

Ἐοίη δ' αἰεὶ αἰεὶ τὰ κολλὰ γ' ἀνδράων πέρι,  
τὸ σχῆμα ἰδὼν τις, ἢ πείθεται ἐν γυῖσι.

*De homine plerumque quis iudicauerit,  
Figuram eius conspicatus, an sit generosae indolis.*

§. CXX.

Signa  
tempera-  
mento-  
rum.

Hinc rubor in facie, agilitas membrorum, habitus corporis succulentus temperamentum **SANGVINEVM**; color viuus, motus agilis, at cum grauitate coniunctus, habitus corporis non inelegans, at aridior & sicciior, **CHOLERICVM**; color fuscus & liuidus, motus tardior & molestior, corpus compactum, & ossa grandiora **MELAN-**  
**CHO-**

CHOLICVM; color pallidus, motus tardiores, corpus obesum & mollius, PHLEGMATICVM arguunt.

§. CXXI.

Et inde facile etiam intelliguntur regulae de in-  
cessu, quas alibi prolixius demonstratas memini-  
mus. \* Ex iis enim, quae modo (§. CXX.) de mo-  
tu sanguineorum, cholericorum, melancholicorum,  
phlegmaticorum diximus, regulae illae pro-  
no alueo fluunt.

Signa ex  
incesso  
genera-  
tim.

‡ In *Dissertatione de Incessu animi indice*, quam edidi-  
mus Halae c1o 1000XIII. Cap. I. §. VII. sequ.

§. CXXII.

Nam ratio & experientia confirmant, 1) inces-  
sum Hispanicos, habitum corporis ad pompam com-  
positum, ceruicem obstipam & vultum adseuera-  
tum; signum esse **AMBITIONIS ridiculae**. 2) In-  
cessum tardum & interruptum, cum motu cor-  
poris erecto, gestulatione gladiatoria, ceruice ex-  
serta, vultuque truce & ad terrorem incutiendum  
composito coniunctum, signum esse **AMBITIONIS Thraasonicae**. 3) Incessum tardum, altum,  
constantem, grauem, cum motu corporis recipro-  
co & manuum decoro coniunctam, signum esse  
**AMBITIONIS tum aulicae, tum militaris**. \*  
4) Gressum tardum, habitum corporis veluti in se con-  
tractum, caput demissum, oculos deiectos, & sub-  
inde ad coelum sublatis, vultum toruum, suspiria  
altius & frequentius ducta, ceteris paribus, indica-  
re **AMBITIONEM pharisaicam**.

‡ Alioquin si accedit ceruix rigida & obstipa, vultus  
adductus, taciturnitas, vel sermo rarior, & cum  
molli quadam digitorum gestulatione coniunctus,  
arrogantiae hoc & crudelitatis indicium censetur. Ita  
incessum Tiberii describit Sueton *in vit. Tiber. Cap.*  
*LXVIII.*

## §. CXXIII.

Volu-  
ptuosorum.

Nec minus facile intelligitur, 5) incessum agilem, mollem, & ad scenicam leuitatem formatum, nec non oculos inter ambulandum procaciter circumactos, VOLVPTATIS *Venerae*; \* 6) incessum agilem, & compositum tamen, cum motu corporis decoro coniunctum, nec tamen mimicum, vultum denique serenum & hilarem, VOLVPTATIS *amicæ*; 7) incessum leuem, remissum, dissolutum, ab omni decoro alienum, pedes infirmos ac instabiles, VOLVPTATIS *Bacchiæ* præbere indicium.

† Pertinet huc inprimis locus apud Petron. Arb. *Satyr.* p. 53. *Vides me? nec auguria noui, nec mathematicorum caelum curare soleo: ex vultibus tamen hominum mores colligo, & quum spaciante vidi, quid cogites, scio. Quo enim incessus arte compositus, & ne vestigia quidem pedum extra mensuram aberrantia, nisi quod formam proficiuis, ut vendas?*

## §. CXXIV.

Auatorum, leuium &amp; vaecordium.

Denique non male inde inferimus, 8) incessum difficilem, & cum molestia quadam velocem, incompositum, interruptum, † & cum anhelitu & statu motuque corporis indecoro coniunctum AVARITIAM, seu opum & diuitiarum cupiditatem, prodere. 9) Incessum varium, modo tardum, modo concitatum, cum vultu feroce & oculis variis coniunctum, summae LEVITATIS ac VAECORDIAE; \* 10) incessum denique cum violento humerorum motu, oculis stupentibus, & ore distorto coniunctum, ingenii DOLOSI, INVIDI & NVLLI mortalium FIDI argumenta esse.

† Theophrast. in *Charact.* p. 7. edit. Thom. Gale: Καὶ ἐπ' ἄλλω μὲν μῆτι θαυμάζειν, μῆτι ἐκλήπτειν θαι ἐν ταῖς ὁδοῖς. ὅταν δὲ ἴδῃ ἕν, ἢ τετραγόν, ἰσχυρῶς θεωρεῖν. In via aliorum quidem nihil admiratur, neque vlla re porcellitur, At si bonem viderit, aut hircum, ibi

DE SIGNIS ET CHARACT. MORVM ET AFFECT. 189

ibi homo gradum sistere & conspici.

\* Ita incestum Catilinae describit Sallust. de Bella Ca-  
sil. Cap. XV.

§. CXXV.

Sunt & alia signa physioquomonica, quae ex ru- Signa  
gis ac lineamentis frontis, ex voce, gestibus, simi- moralia  
libusque petuntur. Sed certiora sunt MORALIA quotupli-  
id est SERMO & ACTIONES. Effectum enim cia?  
de causa testari, nemo temere negauerit. \*

\* Hinc ipse Seruator haec signa morum tanquam cer-  
tissima commendat, Matth. XM, 33-35. Luc. VI,  
43-45. Plutarch. in Vita Alex. p. 664. Tom. I. Opp.  
ὅτι ταῖς ἐπιφανιστάταις πράξεσι πάντως ἐνέσι δὴλω-  
σις ἀρετῆς καὶ κακίας. ἀλλὰ πράγμα βραχὺ πολ-  
λάκις καὶ ῥῆμα, καὶ παιδία τις ἔμφασιν ἔθους ἐ-  
ποίησι μᾶλλον, ἢ μάχαι κυριότεροι, καὶ παρατά-  
ξαις αἰ-μίγισαι, καὶ πολιτικὰ πύλων. Non semper  
clarissimae quaeque res virtutes & vitia repraesentant,  
sed exiguum subinde factum diffusumque & iocus ali-  
quis cuius specimen edic morum, quam praelia fune-  
rissima, maximae acies, urbiumque expugnaciones.

§. CXXVI.

SERMO est sonus articulatus, quo cogitatio- Sermo an  
nes nostras cum aliis communicamus. Quom ita- mentis in-  
que ex cogitationibus proficiscatur, cogitationes audicium  
tem plerumque cum affectu propensione & inclina- praebet  
tione hominis conueniant : consequens est, ut re-  
cte obseruarit Diogenes Cynicus, mentem hominis  
ex sermone, non minus ac ollae materiam ac in-  
tegritatem ex tinnitu, dignosci. \*

\* Idem etiam de verbis scriptis, seu in litteras reda-  
ctis, existimandum. Quamuis enim stilus facilius  
simulet dissimuletque, quam lingua: plerumque ta-  
men & in scriptis ingenium humanum, tanquam in  
speculo quodam, conspicitur. Vere ac eleganter  
Demetr. Phaleraeus, vel quisquis libelli de eloqui-  
tione

*zione auctor est; Σχεδόν γὰρ εἰκόνα ἑκάστος τῆς ἑαυτοῦ ψυχῆς γράφει τὴν ἐπιστολήν. Καὶ ἴσιν μὲν καὶ ἐξ ἄλλων λόγων παντὸς ἰδεῖν τὸ ἔθος τῶν γράφοντων. ἐξ ἑδῆος δὲ ἕταος, ὡς ἐπιστολῆς. Fere enim animi sui simulacrum quisque ex imaginem epistolam scribit. Et est quidem ex omni alia oratione videre ac noscere mores scriptoris: ex nulla tamen aequè, ac ex epistola.*

§. CXXVII.

Quotuplicia haec signa sint?

In sermone & FORMA spectatur, & MATERIA. *Forma* est ipse stilus eiusque character; *materia* ipsa sententia, quam verbis complectimur. Quum itaque stilus ab ingenio, iudicio, memoria vel maxime pendeat: hae vero facultates nexu inseparabili cum propensionibus hominum coniungantur: ex *stilo* etiam de hominis moribus non inapte iudicamus. \*

\* Ex sanguinis enim temperatura & motu temperamentum corporis oritur. (§. LI.) Prout sanguis se habeat, eatenus & spiritus animales vel fluor nervosus vel subtilior agiliorque vel crassior & minus agilis secernitur. (§. XLVII.) Ex fluoris istius diuersa constitutione diuersa indoles nascitur. (§. XLVIII.) Ex indole stili characteres modificantur. (§. CXXVII) Ergo ex stilo de temperamentis, coniunctaque cum his propensione iudicatur.

§ CXXVIII.

Stilus ambitiosorum.

Quia ergo AMBITIOSI & CHOLERICI iudicio acri & recto polleant: (§. LVIII.) consequens est, vt genus dicendi ament Atticum vel Rhodium, emphaticum, sublime, grande, concitatum, & ex quo vis quaedam dicendi elucet. \*

\* Quomodo differant istae ideae stili vel characteres, de quibus hoc & sequentibus §§. agimus, regulis & exemplis luculenter exposuimus in *Fundam. Stili cult. Pars. I. Cap. II. §. XXXVII--LXIII.*

§. CXXIX.

§. CXXIX.

Quumque SANGVINEI & VOLVPTVOSI Volu-  
 ingenio valeant: (§. LIX.) non mirum est, eos a-  
 ptiores esse ad genus dicendi Asiaticum, iocosum, rum,  
 perspicuum, elegans, moratum, argutum & poëti-  
 cum.

§. CXXX.

Denique quum MELANCHOLICI & HA- Anaro-  
 BENDI CVPIDI memoria potius, quam iudicio & rum.  
 ingenio excellant: facile incidunt in sermouem  
 verbosum, circumductum, obscurum, frigidum,  
 inaequalem & sententiis parum acutis refertum. \*

\* Tantum enim abest, vt sententiae nimis frequentes  
 sapientiam quandam eximiam arguant, vt vulgus  
 magis, quam sapientissimi quilibet, vii soleant sen-  
 tentiis. Ostendimus hoc in *Fundam. Stili cultior.*  
*Part. I. Cap. II. §. XXXV.*

§. CXXXI.

Ex quo filii peritiores facile colligent, qualis mo- Quid hic  
 rum & temperamentorum mixtura ad stilum vere tempera-  
 elegantem & nativa sua pulcritudine adfurgentem mento-  
 quam maxime sit idonea. rum mix-  
 tura effi-  
 ciat?

§. CXXXII.

Ita ex forma sermonis, seu stilo, de hominum ingenio iudicatur. Quod ad eiusdem MATE- Sermones  
 RIAM atinet, experientia ipsa nos satis conuincit, ambitio-  
 eos, quos vana vexat *ambitio*, de rebus magnis, & forum.  
 suis maxime, itemque de rebus moralibus & poli-  
 ticiis, libentissime loqui, nullumque acroama audire  
 lubentius, quam de laudibus suis. \*

\* Hinc colligas, Ciceronem immodica laborasse lau-  
 dis ac honorum cupiditate, eaque in re ipsum Cae-  
 sarem multo modestiorem fuisse. Nec dubium est,  
 quin facundissimus iste Romuli nepotum idem, quod  
 Caesar, ausurus fuisset, si tam facile putasset, elo-  
 quentia ciuitatis libertatem opprimere, quam armis.  
 Veritatem huius obseruationis deprehendent, qui-  
 cunque



cunq̄ue Caesaris *Commentarios de Bello Gallico* & *Cicili* cum Ciceronis *orationibus Catilinaris*, iisque, quas post reditum habuit, nec non cum *Philippicis*, contulerit.

## §. CXXXIII.

**Voluptuosorum.**

Nec minus res ipsa docet, *voluptati deditos* ex *signis* *magis* *libenter* differere de rebus ad voluptatem pertinentibus, iucundis, curiosis; magisque quaestionibus physicis, quam moralibus, politicisque, quin & obscenis & ludicris magis, quam seriis delectari. Vbi dissimulant, tanto absurdius in voluptates invehuntur, quanto magis ad eas natura procliuus sunt.

## §. CXXXIV.

**Auarorum.**

Denique *auari* aut nihil loquuntur, aliis fermocinantibus, aut de lucro captando, rebus oeconomicis, frugalitate, temporum hominumque iniuriis, & litibus suis, quin & de magia, cultu externo & benedictione, quam vocant, diuina, longos ac parum suaves sermones instituunt.

## §. CXXXV.

**An simulatio certitudinem hominum signorum tollat?**

Locus hic est simulationi, sed non ita, vt non occasio, vinum, familiaritas, laruam aliquando detrahant. Quin quo magis simulationi ac dissimulationi studet homo vitis deditus, eo minus propensionem suam dissimulat. \*

\* Hinc quamuis Tiberius esset simulator maximus, non sefellit tamen plerosque cautiores, qui diuturno usu didicerant, *cupere eum specie recusantis, recusare specie cupientis*. Illustrabit hanc obseruationem Tacitus *Annal. Lib. I. cap. III.*

## §. CXXXVI.

**Signa ex hominum actioni-**

Superfunt ACTIONES, quas quales esse oporteat *ambitiosorum, voluptuosorum, auarorum*, facile vnusquisque animaduertit. Id modo obseruandum, non ex vna alteraque actione iudicandum esse de pro-

propensione hominis, sed ex longa earum serie. Sic verum esse deprehendet, quae toties inculcat Seruator noitter, *qualis sit arbor, tales eam fructus laturam.* \* bus pe-  
tenda.

\* Quare pestilentissimi sunt homines, & ad omne scelus profligati, in quos cadit elogium Cornelii Nep. *in Alcib. Cap. I. Constat enim inter omnes, qui de eo memoriae prodiderunt, nihil illo fuisse excellentius vel in virtute, vel in vitio.* Adde Timaei & Theopompi de eo testimonia apud eumd. *Cap. XI.*

CAP. III.

DE SVMMA FELICITATE, AD QVAM HOMO CONTENDIT.

SECT. I.

DE BONO ET MALO GENERATIM.

§ CXXXVII.

**E**Xpensa natura hominis morali, proximum est, *Conne-  
xi.* ut veram illam felicitatem, ad quam ille per-  
ducendus est, paullo accuratius consideremus. xi.  
(§, VIII.)

§. CXXXVIII.

Et eum quidem finem homini vel ipsa natura o-  
stendit, ut ad summam, ad quam adspirare potest, inclinatio  
felicitatem contendat. Voluntas enim semper bo-  
num adpetit, (§. XXIX.) vera autem felicitas in ve-  
ri boni fruitione malique absentia manifesto confi-  
stet, seu, ut Cicero *Tusc. Quaest. Lib. V. Cap. X.*  
loquitur, felicitas est *secretis malis omnibus cumulata  
bonorum complexio.*

§. CXXXIX.

Quum itaque *felicem esse sit bono vero frui:* (§. Ea quo-  
CXXXVIII.) & multi tamen qui bonis variis, & *tuplex?*  
iis quidem veris, praediti sunt, ideo felices non  
vi-

190 ELEM. PHILOS. MOR. P. II. CAP. III. SECT. I.  
 videantur: consequens est, vt felices dicendi sint, \*  
 aut qui omnibus bonis fruuntur, aut qui possident  
 bonum summum & praestantissimum, quod facile  
 reliquorum omnium pretium aut exsuperet, aut sal-  
 tim exaequet.

\* Ita summam felicitatem definiuit Plato apud Cic.  
*Quaest. Acad. Lib. I. Cap. VI.* vbi ait: *In vna quidem  
 virtute positam beatam vitam, non tamen beatissimam,  
 nisi adiungerentur & corporis bona, & cetera  
 ad virtutis usum idonea.*

§. CXL.

Consistit in fruitio-  
 ne boni  
 praestan-  
 tissimi. Quia autem omnibus bonis se fruiturum, homo  
 naturae suae sibi conscius sperare vix potest: suffi-  
 cere ei ad veram felicitatem debet possessio boni  
 summi & praestantissimi, quod reliqua omnia aut  
 superat, aut exaequat. \*

\* Quemadmodum enim, vbi sorte res agitur, & in  
 medio positae sunt diuersae summae pecuniae, ve-  
 luti 10000, 1000, 500, 100, 50, 20, 10, 5, 1. flore-  
 norum, vnusquisque optat sibi copiam dari summae  
 maximae, si omnes coniunctim sperare non liceat:  
 ita & homini eo enitendum, vt quando omnibus  
 bonis absolute perfrui nequit, summo saltem & per-  
 fectissimo potiatur. Ipse Seruator Luc. X, 42. *Vnum,  
 inquit, necessarium est, Maria τὴν ἀγαθὴν μετὰ ἐξ-  
 ελέξατο, optimam portionem elegit.*

§. CXLI.

Ergo de bono-  
 generatim  
 agen-  
 dum. Vt autem ex tot bonis, quae omnis boni dator,  
 Deus, humano generi dedit, maximum & prae-  
 stantissimum eligatur: de natura BONI & MALI  
 paullo accuratius erit agendum.

§. CXLII.

Quidbo-  
 num?  
 quid ma-  
 lum? BONVM adpellamus, quidquid rem conseruat  
 ac perficit, adeoque. si id ad hominem refertur,  
 bonum illi erit, quidquid hominem conseruat ac  
 perficit; MALVM, quod eundem destruit ac de-  
 teriorem reddit. †

† S

‡ Si ergo malum repugnat naturae nostrae & effentiae, adeoque destruit *ad esse*, vocatur **PHYSICVM**: sin repugnat voluntati Dei & destruit *ad bene esse*, **MORALE** dicitur. Quae diuisio etiam ad bonum pertinet.

## §. CXLIII.

Quum igitur quaedam hominis naturam credan- **Bonum** tur conseruare & perficere, quae eam reuera de- **verum &** struunt; quaedam eandem destruere aut deterio- **adparens.** rem reddere videantur, quae vere conseruant ac perficiunt: *bonum* aequae ac *malum* vulgo in **VERVM** & **ADPARENS** diuidunt, quamuis bonum adparens verum malum; malum adparens verum bonum, adeoque tota diuisio inepta sit.\*

\* Est ergo potius distinctio, per quam vocabulum **BO- NVM** ab aequiuocatione liberatur. Aristotelicis tamen ea genuina diuisio visa est, quia bonum ipsis erat *congruentia cum aliquo adpetitu*. Aristot. *Eth. ad Nicom. Lib. I. Cap. I.*

## §. CXLIV.

Deinde, quemadmodum res aliqua ita nos **con-** **Absolu-** seruat ac perficit, vt eius fruitio non possit detri- **tum &** tum adferre: alia, \* prout bene vel male ea **v-** **respecti-** timur, nos vel conseruat vel destruit: ita facile in- **uum.** telligitur diuisio noua, quod aliud bonum sit **SIM-** **PLICITER** & **ABSOLVTE** tale, aliud certo **RE-** **SPECTV**, vel **SECVNDVM** **QVID.** \*\*

\* Quum vero detrimentum nobis adferatur, aut dum *ad esse* destruitur, aut dum *ad bene esse* priuamur: (§. CXLII \*) neutrum cadit in bonum absolutum: & hinc illud & *utile*, & *honestum*, & *iucundum* esse oportet. e. g. virtus.

\*\* Et hoc etiam dicitur *ἀδιάφορον*, seu *indifferens*, quod vere nec bonum nec malum sit, sed tale fiat, si certis vñibus adhibeatur.

## §. CXLV.

## §. CXLV.

**Actiuum & passiuum.** Porro quum homo vel *agendo* aliquid se perficiat & conseruet, vel *patiendo*, seu *recipiendo*: priore casu bonum **ACTIIVM**; potteriore **PASSIIVM** adpellatur.

## §. CXLVI.

**Privatiuum & positiuum.** Per se quoque patet bonum vel ideo nos perficere, quia conseruat, i. e. mali quid a nobis auertit, vel, quia perficit, & vtilitaris quid adfert. Hinc illo casu bonum **PRIVATIVVM**; hoc **POSITIIVM** dicitur. \*

\* Hinc facile patet, vbi bonum simul *privatiuum*, simul *positiuum* est, illud κατ' ἐξοχήν bonum esse. Sic dum Seruator nos non solum ab aeternis cruciatibus redemit, sed & sempiternam beatitudinem sua obedientia meruit, dubitari non potest, quin hoc beneficium sit inaeftimabile.

## §. CXLVII.

**Ordinariuum & extraordinariuum.** Est etiam bonum, quod nos in *statu naturali* conseruat. Est aliud, quod in *statu praecernaturali* destructionem a nobis auertit. Illud **ORDINARIIVM**; hoc **EXTRAORDINARIIVM** vocamus. \*

\* Sic cibus, potus, motus, sunt bona hominis *ordinaria*; medicamenta, venae sectiones; cauteria, sectiones, *extraordinaria*.

## §. CXLVIII.

**Corporis & animi.** Denique, quae immediate ad corporis conseruationem ac perfectionem comparata sunt, bona **CORPORIS**; quae mentem perficiunt ac conseruant, bona **ANIMI** nuncupantur. Quae diuisio cum altera, quae bona quaedam ad vitam *vegetatiuam*, quaedam ad *sensitiuam*, quaedam ad *rationalem* pertinere dicuntur, facile poterit conciliari. \*

Quae

\* Quae enim vitam *vegetatiuam* vel *sensitiuam* perficiunt, immediate prolunt *corpori*; quae *rationalem*, animo.

§. CXLIX.

Quum itaque homini bonum sit, quidquid eum Axioma: conseruat, ac perficit: (§. CXLII.) consequens est, ta de bo- 1) vt quo magis res ad conseruationem ac perfe- no pri- ctionem nostram facit, eo melior, & 2) quo magis im- mum & perfectos nos reddit, aut destruit, eo peior habenda sit. secun- dum.

§. CL.

Deinde quum mens nostra corpore sit praestan- Ter- tior: (§. XIV.) facile intelligitur, 3) bonum, quod tium, mentem perficit, bonis corporis esse praerendum, quar- tum, nec tamen, 4) quae corpori profunt, plane pro tum, malis vel indifferentibus esse habenda. \* 5) Bonum, quintum: quod & mentem & corpus perficit vel conseruat; multo praestantissimum esse.

\* Hinc absurde Cyrenaici vitam pro *malo*, mortem pro *bono* quodam venditabant. (Hist. phil. §. LVII.) Nec minus errabant Stoici, qui solam *virtutem bonam*; solum *vitium malum*, reliquas res omnes nec bonas nec malas esse censebant. (Hist. phil. §. LXXXI.) Quum enim bonum homini sit, quod eum, id est, eius essentiam, conseruat, & perficit, (§. CXLII) ad essentiam autem hominis non modo mens, sed & corpus pertineat: (§. XI.) ea quoque, quae corpus conseruant & perficiunt, bona esse oportet. Q. E. D.

§. CLI.

Quum porro, qui non est, nec felix esse possit: Sextum (Log. §. XV.) consequens est, 6) vt conseruari septi- magis expediat, quam perfectiorem fieri, adeoque mum & 7) bonum *priuatiuum positiuo* sit praestantius, octa- uum, 8) praestantissimum autem, quod simul priuatiuum, uum, simul positiuum est. (§. CXLVI. \*)

\* Errauit ergo Epicurus, & quicumque illum sequuti summum hominis bonum in *ἀναλγησιᾷ* seu *indolentia* positum existimant. (Hist. phil. §. LXXXVIII.) Est enim hoc bonum priuatiuum, quod positiuo comparate praestantius, at non praestantissimum est.

§. CLII.

Porro ex definitionibus boni *absoluti* & *secundum Notum* N quid;

& fe- quentia. *quid*, (§. CXLIV.) *actiui & passivi*, (§. CXLV.) *ordinarii & extraordinarii* (§. CXLVII.) *fluunt axiomata*: 9) *Bonum passivum*, quia propter actiivum est, huic merito posthabendum. 10) *Bonum extraordinarium* in statu naturali fit malum, aequae ac ordinarium in statu praeternaturali. 11) *Quod bonum minus nos fruitione maioris boni priuat, illud malum fit.* 12) *Quod malum maius malum, ipsamque destructionem, a nobis auertit, fit bonum.* \* 13) *Bonum verum simpliciter tale simul iucundum est, simul honestum, simul utile* (§. CXLIV.)\*

\* Hinc regulae 1) *Ex duobus malis (physicis) eligendum est minus.* e. g. melius est, digitum amittere, quam vitam. 2) *Ex duobus malis moralibus neiusrum eligendum, nisi fauor necessitatis excuset.* e. g. Si quis Nero Christianum aut sacrificare aut adulterium admittere iuberet, neutrum faciendum esset. 3) *Ex duobus malis, quorum alterum morale, alterum physicum est, physicum est eligendum.* (§. CL, 3) e. g. fatius videbatur Iosepho, vincula ferre, quam in herae amplexus rueri.

## §. CLIII.

Vita & mors bo- nae an malae? Ex quibus axiomatibus facile patet, 1) *in nobis VITAM esse bonum praestantissimum*, (§. CL, 5.) nisi quis ita viuat, vt spe maioris felicitatis excidat (§. CLII, 11.) At 2) *MORTEM* in se malum quid esse, (§. CXLII.) nisi nos maioribus malis subducat. \* (§. CLII, 12.)

\* Mors puta naturalis. Quam enim ipse sibi homo adsciscit, voluntariam numquam bonam esse, facile patet. Voluntas hominis fertur in bonum, (§. XXIX.) & ex Dei quidem intentione in bonum verum, quia adparens non bonum, sed malum est. (§. CXLIII.) Iam quum verum bonum sit, quod nos conferuat & perficit; (§. CXLII.) voluntas nostra ex intentione Dei ferri debet in sui conferuationem & perfectionem. Ergo *ἀντίθεσις*, dum eius voluntas fertur in sui destructionem, agit contra intentionem Dei, adeoque committit malum morale. (§. CXLII.)\*

(§. CXLII. \*) Iam quum malum morale nunquam eligendum sit: (§. CLII. \* 2. 3.) *ἀνθρώπινα* etiam nunquam eligenda est, adeoque hoc sensu mors nunquam bona fieri potest. Q. E. D.

§. CLIV.

Ex quo porro colligimus, 3) ne illos quidem **An indifferente** recte ratiocinari, qui MORTEM in se pro indifferente habent, \*) quum in meo arbitrio non sit, mori velim, nec ne, adeoque morte nec bene nec male uti possim, sed tantum a Deo eam expectare debeam. (§. CLIII. \*)

\* Itaque adparet, in paralogismum abire ratiocinationem: *Quia vita bona est, etiam finis vitae malus esse non potest.* Marc. Antonin. *ἐπιπέτυξεν* Lib. IX, §. 21. Nam alius est finis, qui rei bonae pars est, alius, qui rem bonam destruit. Ita si adnumerem tibi 100. aureos, centesimi adnumeratio mala non erit, quamvis finis istius actus adfit. At si habeas 100. aureos, eique possessioni finem adferat incendium, vel furtum, finem hunc possessionis nemo negabit malum esse, quamvis ipsa possessio bona sit.

§. CLV.

Idem 4) de SANITATE, ROBORE, FORMA, INGENIO, aliisque, quae natura in homine sunt, dicendum, nisi eorum fructio te maiore bono priuet, (§. CLII, 11.) quemadmodum 5) moribus, dolor, infirmitas, deformitas, stupor pro magis merito habentur, nisi maiori euitando malo occasionem praebeant. (§. CLII, 12.)

§. CLVI.

Quas studio ac exercitatione adquirimus, perfectiones intellectus, veluti SCIENTIA, ARTES, AGILITAS CORPORIS &c. in se bonae sunt, at scientia, & celeritas ingenii praestantiora bona quam artes & agilitas corporis. (§. CL, 3) At si quis tamen abutatur his praedictis ad vitia, ea malorum nomen merito induunt. \* (§. CLII, 11.)

\* Absurde ergo laudaret quis *pulchritudinem* Thaidis; *scientiam* Spinozae, *artem* eius, qui falsam mortem cudit, *celeritatem ingenii* in Pseudolo Plautino, &



*gilitatem* corporis in Cartuchio, vel fure alio, cui ingenium omne in digitos abiit.

§. CLVII.

An virtus & vitium? Praeterea, quum VIRIVS vere fit bonum honestum, iucundum, vtile: (§. CXLIV. \*) sequitur vt illa vere bona sit, (§. CLII, 13) quemadmodum VITIVM absolute & simpliciter malum est, adeoque nunquam admittit excusationem. \*

\* Et hinc regula fluit: *Non sunt facienda mala, vt eveniant bona*, & recte Apostolus, ita sententiarum *κερνα ἐνδικον ἐστίν*, condemnationem iustam esse, ait Rom. III, 8. Ita peccarunt Saul & populus, res Amalekitarum deuotas diripientes, ne sacrificia deessent. 1. Sam. XV, 21. Nec obscurum inde est, quo vitio laboret principium illud famosum Iesuitarum, quod nomine *methodi dirigendi intensionem* adpellant. (Hist. phil. §. XCI.)

§. CLVIII.

An entia naturalia & moralia? Quae extra nos posita sunt, ENTIA siue NATURALIA, vt *cibus, potus, aurum, argentum*, siue MORALIA, vt *fama, honor, dignitas*, vere in-  
ta. lia extra nos posita sunt: (§. XLIV. \*\*) adeoque bona si iis recte vtaris; mala, si perperam. \*

\* Sic cibi, potus, & reliqua omnia sunt bona, si iis vtaris ad vitam & statum tuum conseruandum. At malorum semper illadem *cibus & potus attulerunt luxuriosis*, aurum & argentum *Eucleionibus*, honor & dignitas *tyrannis*, & ambitiosis omnibus, qui

*Tolluntur in altum,*

*Vt lapsu grauiore ruant.*

§. CLIX.

An homines? Multo magis HOMINES, qui nobiscum in societate viuunt, *boni* nomen merentur, si virtute praediti sumus, *mali*, si vel nos, vel ipsi, vitii indulgemus. \*

\* Homines enim aut *flagitiis* adhuc sunt contaminati, aut



na omnia circumstant. Sed quum in his quaedam in eius simul potestate non sint, veluti fanitas, robur, forma, consequi ingenium, opes, honores, quaedam fluxa ac minus stabilem, veluti praeter haec omnia ipsa scientia: nequeamus, facile patet, neminem temere esse mortalium, qui praestantissimum ea omnia coniunctim & perpetuo possideat, adeoque ex tot bonis eligendum esse summum ac praestantissimum, (§. CXL.) in eoque inueniendo non aberraturum, quicumque axiomata de bono & malo, luce meridiana clariora, (§. CXLIX. & seqq.) in consilium adhibuerit.

## S E C T. II.

## D E S V M M O B O N O .

## §. CLXII.

Sum-  
mum bo-  
num  
quid?

**S**VMMVM itaque BONVM est bonum omnium praestantissimum, cuius fruitio reliqua bona omnia aut adaequat, aut superat, (§. CXL.) & hinc hominem, expleto eius desiderio, vere felicem ac tranquillum reddit. Hoc bonum finis vltimus est, ad quem contendimus.\* Eo autem potiti, non possumus non simul vera felicitate potiri.

\* Non ergo felicitas & tranquillitas est vltimus hominis finis, sed summi boni fruitio, quacum vera felicitas & tranquillitas animi semper coniuncta est. Non appetimus *summum bonum*, vt *felices* simus: sed ideo *felices* sumus, quod *summo bono* perfruimur. Nec posset bonum hoc *summum* adpellari, si propter aliud bonum adpeteretur, i. e. propter *felicitatem*. Elegantissime itaque summum bonum describit Cic. *de Fin. Lib. 1. Cap. IV. quod sit illud extremum, & vltimum, quo sint omnia bene viuendi & recte faciendi consilia referenda, quid sequatur natura, vt summum ex rebus expetendis, quid fugias, vt extremum malorum.*

## §. CLXIII.

## §. CLXIII.

Quum itaque bonum omnes adpetamus naturaliter, (§. XXIX.) adeoque & nemo sit mortalium, quin summo bono perfrui cupiat: facile patet, I. id bonum ita comparatum esse oportere, vt ab omnibus, media non adspernantibus, possit obtineri.\*

Eius character primus.

\* Quum enim omnibus naturale summi boni desiderium in seuerit Deus, & is tamen frustra nihil faciat: necessario etiam vult, vt homines id consequantur. Quare vult etiam, vt ab omnibus media non adspernantibus possit obtineri. Eleganter Arrianus in *Disser. Epictet. Lib. III. Cap. III.* Πέφυκε δὲ πᾶσα ψυχὴ, ὡς περ τῷ ἀληθεῖ ἐπινεύειν, πρὸς τὸ ψεῦδος ἀνανεύειν, πρὸς τὸ ἔδηλον ἐπέχειν, ἕτοιμα πρὸς μὲν τὸ ἀγαθὸν ὑπερτικίως κινεῖσθαι πρὸς τὸ κακὸν ἐκκλητικῶς, πρὸς δὲ τὸ μήτ' ἀγαθὸν μήτε κακὸν ἑδαιτέρως. *Omnis mens ut naturaliter propensa est, & vero adseruiri, & a falso dissidere, & in ambiguis se sustinere: ita ei insitum est, ut ad bonum appetitu incitetur, malum refugiat, & in his, quas nec bona, nec mala sunt, in neutram partem moueatur.* Id quod deinde eleganter illustratur exemplo numismatis, imaginem Caesaris circumferentis.

## §. CLXIV.

Quandoquidem etiam bonum hoc oportet esse omnium praestantissimum: (§. CLXII.) consequens est, II. vt praecipue mentem conseruare ac perficere debeat, siquidem animi bona bonis corporis praestantiora esse, inter omnes constat, (§. CL. 3) qui non sunt Aristippi de grege porci. (Hist. phil. §. LVI.)

Secundus.

## §. CLXV.

Quumque circa bonum proprie voluntas; circa verum intellectus versetur: (§. XV. XVI.) merito inferimus, III. summum bonum voluntatem perficere, eam libertate donare, morbos seu vitia eius curare, & hinc summam illam infelicitatem, qua-

Tertius.

200 ELEM. PHILOS. MOR. P. II. CAP. III. SECT. II.  
cum vitiis obruti homines conficiantur, tollere debere.

- \* Quum enim bonum excellentissimum sit, quod simul priuatiuum est, simul positiuum: (§. CLI, 8.) non obscurum est, summum bonum & vitia voluntatis curare, & hanc facultatem integritati libertatique suae restituere debere.

§. CLXVI.

Quartus. Praeterea quum, si propter aliud expeteretur summum bonum, hoc nomen tueri non posset: (§. CLXII. \*) facile intelligitur, IV. illud ita comparatum esse debere, vt nullum sit praestantius, propter quod expetendum videatur.

§. CLXVII.

Quintus. Denique quum in fruitione illius boni summi vera hominis felicitas posita sit, (§. CLXII.) adeoque non maior intelicitas excogitari possit, quam amittere summum bonum: consequens est, V. vt bonum hoc perpetuum, & extra omne id amittendi periculum constitutum esse debeat.

§. CLXVIII.

Cui omnes characteres conueniunt, id summum bonum est. Itaque quum omnia haec axiomata ex ipso summi boni conceptu sua sponte fluant: dubitari nequit, quin id demum, in quod omnia illa attributa essentialia cadunt, pro summo bono habendum sit. Id quod parum obseruarint veteres philosophi: non sane mirum videbitur, eos hac in re mirifice dissensisse. \*

- \* Si verum est, quod Varro apud Augustin. *de Ciuit. Dei Lib. XIX. Cap. 1.* refert, ducentae & octoginta octo diuersissimae philosophorum hac de re fuerunt sententiae. Sed in his pleraeque procul dubio tam absurdae, vt non magis refelli mereantur, quam fabricantium somnia. (*Hist. phil. §. vlt.*)

§. CLXIX.

## §. CLXIX.

Proinde in procliui est animaduertere errorem Non ex-  
*Aristippi Cyrenaici*, summum bonum in VOLVPTATE CORPORIS positum esse, somniantis. ptas.  
 (Hist. phil. §. LVI.) Quum enim ea nec animae bonum sit, (§. CLXIV. nec voluntatem perficiat & a morbis liberet, (§. CLXV.) ipsa quippe morbus grauisissimus & vitium pestilentissimum, (§. LXXXI. *sequ.*) nec denique perpetuo illa perfrui liceat hominibus: (§. CLXVII.) ea profecto ne boni quidem nedum summi boni cognomine cohonestanda est.

## §. CLXX.

Et quamvis *Epicurus* paullo verecundius philosophatus, VOLVPTATEM ANIMI, id est, Nec voluptas animi, vel tranquillitas? tranquillitatem eiusdem & indolentiam, summum bonum statueret: (Hist. phil. §. LXXXVIII.) tamen quia & haec animi voluptas seu indolentia non est simul bonum positium, (§. CLXV. \*) nec propter se ipsam expetitur, (§. CLXVI) nec denique perpetua est, (§. CLXVII.) summum bonum haberi nequit. \*

\* Quin quum ideo voluptatem veram animo percipiamus, quod summo bono perfruamur: (§. CLXII. \*) ea magis pro effectu summi boni, quam pro summo bono, habenda est.

## §. CLXXI.

Facebant etiam, si qui DIVITIAS & HONORES pro summo bono venditant. Quis enim, nisi insanus, illas res sibi finem vltimum statuat, quae nec ab omnibus obtineri possunt, (§. CLXIII.) nec mentem conseruant & perficiunt, (§. CLXIV. *sequ.*) sed eam potius tanto imperfectiorem reddunt, (§. CLXV. *sequ.*) nec propter se ipsas expetuntur, (§. CLXVI.) nec sempiternae ac perpetuae sunt? (§. CLXVII.)

N 5

§. CLXXII.

§. CLXXII.

An scientia, sanitas, libertas? **Iam si porro SCIENTIAM, SANITATEM, LIBERTATEM, aliaque, quae non nulli pro summo bono habuerunt, ad eundem Lydium lapidem exegeris: res ipsa docebit, characteres summi boni illis haut quadrare.**

§. CLXXIII.

An virtus? **Speciosior est eorum sententia, qui vel habitum VIRTUTIS, vel operationem secundum virtutem optimam & perfectissimam summu bonum esse opinantur. \* Virtus enim, ut ut praestantissimum bonum sit, non tamen ita comparata est, ut aliud non reperiatur praestantius. (§. CLXVI.)**

\* Hinc alterutram sententiam plerique amplexi sunt philosophi. Priorem defendit Plotin. *Ennead. I. Lib. IV. qu. 10.* Posteriolem Aristot. *Magn. Morah. Cap. III.*

§. CLXXIV.

Solus Deus summum bonum est. **Quae quum ita sint, inuestigandum est aliud bonum, omnibus his praestantius, nec difficulter id inuestigabimus & in DEO solo vere reperiemus, modo nos ipsos considerauerimus paullo accuratius.**

§. CLXXV.

Nos aequae, ac nos, existimus. **Mens nostra perceptionum suarum sibi conscia est, (§. X.) adeoque certissimum est, nos cogitare, & res etiam extra nos positas percipere. Quum ergo de non ente cogitari nihil possit: (Log. §. XV.) de nostra profecto aliarumque rerum *existentia*, si vel maxime velimus, dubitare non possumus.**

§. CLXXVI.

Existencia vel necessaria vel contingens. **EXSISTERE aliquid dicitur vel NECESSARIO, quod non potest non esse, vel CONTINGENTER, quod posset etiam non esse. Sic nos etiam non esse posse, & hinc contingenter existere, vel inde patet, quod ante ducentos annos nemo nostrum fuit.**

§. CLXXVII.

Entis necessarii. **Quum ergo, quod *necessario* existit, non possit non**

non existere: (§. CLXXVI.) consequens est, 1) cessario ut & semper fuerit, & numquam desitutum, adeo- existen- que & 2) nulli mutationi obnoxium sit. 3) Ut tis attri- non habeat extra se causam existentiae, adeoque buta. 4) a se ipso existat.

§. CLXXVIII.

Contra quum *contingentia* etiam esse non pos- Nec non sent: (§. CLXXVI.) per se patet, 4) ea oriri ac in- entium terire, & hinc 5) variis mutationibus obnoxia esse, contin- & 6) necessario causam aliquam, cur existant, genter habere, adeoque 7) non esse a se ipsis. 8) Potitis existenti- omnibus causis, ponendam demum esse causam tum. primam, adeoque 9) progressum causarum in in- finitum non dari.

§. CLXXIX.

Quia autem experientia docet, totum hoc vni- Vniuer- uersum varias subire mutationes, & quae mutatio- sum hoc ni obnoxia sunt, contingenter existunt, (§. habet CLXXVIII, 5.) quae contingenter existunt, caus- causam sam, cur existant, habere debent: (§. eod. 6.) con- existen- sequens est, ut totum hoc vniuersum existentiae tia a se suae causam habere debeat, haecque ab vniuerso, diuersam. tanquam effectu suo, sit diuersa. Ergo datur caus- sa huius vniuersi, ab vniuerso distincta.

§. CLXXX.

Ea causa, quum ab vniuerso distincta sit, (§. Causa il- CLXXIX) ipsa quoque aut ens *contingens* fuit, la est pri- aut *necessarium*. Si *contingens esset*: ipsa quoque ma & a se haberet sui causam, (§. CLXXVIII, 6.) & quum ipsa ex- progressus causarum in infinitum non deret: (§. sistens. CLXXVIII, 9) demum tamen subsistendum esset in causa quadam prima. Sin *necessaria* est, a se ipsa, (§. CLXXVIII, 4) & sic quoque causa pri- ma erit rerum omnium. Ergo datur causa vni- uersi ab vniuerso distincta, quae simul causa pri- ma est, adeoque sui causam non habet, id est ne- cessaria, & a se ipsa existens.

§. CLXXXI.



## §. CLXXXI.

Et hinc ens perfectissimum, id est, Deus. Quia porro haec causa est ens necessarium & a se ipso existens: (§. CLXXX.) ea sane erit immutabilis. (§. CLXXVII, 2) Si immutabilis est: nec addi ei quidquam potest, nec detrahi. Ergo est ens perfectissimum: adeoque causa huius uniuersi prima & ab ipso uniuerso distincta, est ens perfectissimum, id est, Deus.

## §. CLXXXII.

Deus est ens simplex. Ex hoc (§. CLXXXI.) sequitur etiam, ut Deus non sit ens compositum, sed SIMPLEX. Si enim compositus esset: partes, ex quibus constat, essent eo priores, adeoque ipse haberet existentiae suae initium, nec esset a se ipso. (§. CLXXVII, 1)

## §. CLXXXIII.

Spiritus. Quum sit simplex; (§. CLXXXII.) non potest esse corpus, quippe quod sine partibus & extensione concipi nequit. Est ergo *spiritus*, adeoque substantia perfectissime cogitans. (§. XI.)

\* Quod non animaduertens Io. Clericus *Part. I. Log. Cap. VIII. §. 5. & Pneumatol. Sect. III. Cap. III. §. 17.* Deo non tantum spirituum, sed & corporum, immo & omnium entium proprietates tribuit.

## §. CLXXXIV.

Aeternus, independens, infinitus, incomprehensibilis, omnipraesens, vnus. Dum Deus a se ipso est, (§. CLXXX) est etiam ens AETERNVM, & INDEPENDENS. Dum nec addi ei, nec detrahi quidquam potest: est ens INFINITVM, & hinc INCOMPREHENSIBILE, OMNIPRAESENS \* & VNVM.

\* Si enim Deus est ens infinitum: mens nostra finita eum cogitando capere non potest, & hinc est ens *incomprehensibile*. Quia deinde ens infinitum certo loco includi nequit, est *omnipraesens*. Quia denique ens infinitum est, infinitum autem non nisi vnum concipi potest, Deus tantum vnus sit, oportet.

## §. CLXXXV.

## § CLXXXV.

Comparatis inter se ideis cogitationis & entis perfectissimi, (§. CLXXXIII.) sua sponte sequitur non posse non Deum esse ens INTELLIGENS, SAPIENTISSIMUM, PRAESCIVUM, OMNISCIUM, LIBERRIME VOLENS, OMNIPOTENS. \*

Intelligens, sapiens, praescivum, liberum, volens omnipotens.

- \* Quod ergo vult, etiam potest. Nihil autem vult, nisi quod sapientiae suae est consentaneum. Et hinc facile patet, cur non posse dicatur efficere, ut contradictoria sint vera, & cur negatur, eum mentiri posse.

## §. CLXXXVI.

Cum ergo nihil possit, nisi quod vult: (§. CLXXXV. \* sequitur, ut sit VERAX, IVSTVS, BONVS, omnesque virtutes in Deo reperiantur in gradu eminentissimo.

Verax, iustus, bonus.

## §. CLXXXVII.

Talis est Deus. Iam quis negauerit, eum bonum infinitum, ac omnium praestantissimum, quin absolute tale esse, adeo, ut ei id nomen *καλὸς & κατὰ φύσιν* omnino competat? \*

Deus ergo est summum bonum,

- \* Hinc Germanis Deus dicitur *Gott* / quasi *Gut*. Et nota sunt illa Seruatoris Luc. XVIII, 19. *τί με λέγεις ἀγαθόν; ἔδωκός ἀγαθός, εἰ μὴ ἔίς, ὁ Θεός.* Quid me vocas bonum? Nemo bonus, nisi solus Deus.

## §. CLXXXVIII.

Nec tantum *in se & absolute* bonus est Deus: sed Etiam *rationi & homini* bonum praestantissimum, & hinc vere summum bonum vnicum. \* Quod facile patebit, si minis attributa summi boni essentialia (§. CLXXXIII. *seqq.*) consideremus paullo accuratius, eaque cum conceptu Dei hucusque explicato comparemus.

- \* Erravit ergo Epicurus, dum Deum consideravit, tanquam ens *in se* beatum, immortale, sempiternum,

num, at otiosum, (Hist. Phil. §. I. XXXIV.) & quod ad se non pertineret, adeoque & cultum illi nullum admodum exhibuit. Et qui potuit colere ens, quod ipsi bonum videbatur, at absolute tantum, & in se, non in ordine ad homines? Quis nostrum colit Iapanorum Regem, quamvis potentissimum, quem ad nos non pertinere probe nouimus? At nec magis ad Epicurum pertinebat Deus otiosus, & sua beatitudine in intermundiis perfruens. Sapientiaque ex contemplatione naturae Dei colliget, eum non modo *absolute*, sed & *respectiue bonum* esse, & cum Epicteto apud Arrian. *Diss. Epictet. Lib. I. Cap. XVI.* cogitabit: *Εἰ ἀγδὼν ἡμῶν, ἐποίησεν τὰ τῆς ἀγδόνος. εἰ κύκνος, τὰ τῆς κύκνου νῦν δὲ λογικός εἰμι. ὑμνεῖν με δεῖ τὸν θεὸν. τοῦτο ποιῶ. ἕτ' ἐγκαταλείψω τὴν τάξιν ταύτην, ἐφόσον ἂν δίδωται. Si luscinia essem, lusciniae officio fungerer; si olor, oloris more facerem. Atqui compos sum rationis. Itaque Deus mihi celebrandus est. Hoc officium meum est, hoc exsequor, nec deferam hanc stationem, dum licuerit.*

## §. CLXXXIX.

Quod probatur ex charactero primo. Quum enim summum bonum ita comparatum sit, vt ab omnibus, media non adspersantibus, possit obtineri: (§. CLXIII.) talis profecto est Deus, qui quanto amore homines prosequatur, tot praecclaris, quibus eos prae aliis animantibus condecorauit, beneficiis docuit. Iam quum amor sit appetitio boni, (§. XXXVII.) appetitio boni autem cupiditas, se cum re vniendi: consequens est, vt ex parte Dei nihil sit, cur, qui media haut adspersantur, perfectissimum hoc bonum non possint obtinere.

## §. CXC.

Secundo. Si porro summi boni requisitum est, vt mentem conferuet ac perficiat: (§. CLXIV.) quis magis id praestabit Deo, qui & existentiam menti dedit, & felicitatis omnis solus largitor est?

## §. CXCI.

## §. CXCI.

Et quis dubitet quaeso, quin Deus voluntatem Tertio: perficere, libertate donare, morbosque & vitia eius tollere possit? (§. CLXV.) Perficitur voluntas, si verum bonum amat: id vero fit, si amat Deum. Qui Deum amat, non amplius seruit adfectibus & inclinationibus prauis. Ergo in libertatem vindicatus est, & hinc nec vitiis amplius indulget, & virtuti studet.

## §. CXCII. \* \*

Praeterea quemadmodum summum bonum ita Quarto: comparatum esse oportet, vt propter se, ac non propter aliud, expetatur: (§. CLXVI.) ita hoc quoque summi boni attributum in Deum manifesto cadit. Quid enim est quaeso Deo praestantius, propter quod cum Deo vniri velis?

## §. CXCIII.

Denique quum bonum summum perpetuum ac Quinto: extra amittendi periculum constitutum esse oportet: (§. CLXVII. nemini & id attributum magis competit, quam Deo, qui & ipse in se ens immutabile ac sempiternum est, (§. CLXXXIV.) & amorem, quo semel hominem complectitur, non deponit, nisi ipse homo se ab eius consortio diuellet. (§. CLX. \*)

## §. CXCIV.

Ex quibus omnibus sua sponte fuit ratiocinium: Conclu- Cui omnia attributa summi boni essentialia competio de- tur: id summum bonum est. (§. CLXVIII.) At monstra- ea omnia competunt Deo. (§. CLXXXIX, sequ. tionis- Est ergo Deus summum bonum. Q. E. D. \*

\* Id & gentiles philosophi agnouerunt. Pythagoraeis summum bonum consistebat *in ὁμοίωσει τῷ θεῷ*, (Hist. phil. §. XLIV.) idque & Platonici statuebant. (ib. §. LXVI.) Stoici finem philosophiae moralis esse dicebant, naturae conuenienter viuere: (ib. §. LXXXI.) sed plerique id interpretabantur de Deo. Lips. *Introd. ad Stoic. Philos. Lib. II. Diss. XIX.* Similia illa Cleanthis apud Clem. Alexandrinum: 'E

Εἰ τὸ ἀγαθὸν ἰρωτᾷς μ', δῖον εἶς', ἄκουε δὴ.  
 Τεταγμένον, δίκαιον, ἕσιον, ἰυσεβές,  
 Κρατοῦν ἑαυτοῦ, χρησίμου, καλὸν, δέον,  
 Αὐστηρὸν ἀνέκασον, αἰεὶ σύμφερον,  
 Ἄφοβον, ἔλυπον, λυσιτελεῖς ἀνώδυνον,  
 Ὠφέλιμον, ἐκάρεσον, ἀσφαλεῖς, φίλον,  
 Ἐντιμον, ὁμολογούμενον  
 Ευκλεῆς, ἄτυφον, ἐπιμελεῖς, πρᾶον, σφοδρὸν,  
 Χρονίζομενον, ἄμεμπτον αἰεὶ διαμένον.  
 Ἀνελεύθερο? ἦς, ὅστις εἰς δόξαν βλέπει,  
 Ὡς δὴ παρ' ἐκείνης τευξάμενος καλοῦ τινος.

*Si quale sit bonum, rogas, ita accipe.  
 Est ordinatum, iustum, & est sanctum, pius;  
 Sui potens, commodum aliis, pulcrum, decens,  
 Rectum atque constans, semper auctum conferens,  
 Expers metu, dolore, curis omnibus,  
 Iuvans benignum, stabile, amicum, amabile,  
 Honore dignum, consistendum,  
 Et gloriosum, non superbum, quod gerit  
 Curam omnium, placens, & viribus valens;  
 Aevi vetus, culpae inscium, semper manens,  
 Ab vilis ille, opinionem qui adspicit,  
 Tanquam duce hac venturus ad veri scopum!*

Praeclara haec, & ἐν ὀλίγῳ Christiana, sed quorum  
 similia permulta apud veteres illos pago deditos phi-  
 losophos passim occurrunt.

#### §. CXCIV.

Deo per- Ex iisdem autem summi boni characteribus, quo  
 fruimur vinculo cum Deo, tanquam summo illo bono,  
 mente. coniungamur, facile pater. Quia enim summum  
 bonum perpetuum, & extra omne amittendi peri-  
 culum constitutum esse debet: (§. CLXVII.) sane  
 non potest illud in corpore, tanquam substantia  
 mortali consistere, sed in mente substantia indestru-  
 ctibili ac immortalis. \* (§. XIII.)

\* Quamvis enim & corpus summam ex vntione cum  
 Deo utilitatem capiat, primario tamen cum men-  
 te

te coniungitur Deus, & hinc facile patet, quò sensum & corpus piorum dicatur *vad̄s τῶν ἐν ἁγίοις θεῶν* I Cor. VI, 19.

## §. CXCVI.

Quumque mentis facultates sint intellectus & voluntas, (XV. XVI.) intellectus autem circa *verum* tantum versetur: experientia quidem docet, veri cognitione carere non posse, qui Deo frui cupit, at neminem ideo frui Deo, quod veritatis sit scientissimus. \*

Et quidem voluntate.

- \* Quare recte *Hebr. XI, 6.* ponitur, eum, qui ad Deum venire cupiat, credere debere, quod existat, & se quaerentibus *μισθαποδότης* futurus sit. At acu rem non tetigere philosophi, qui veritatis cognitionem veluti vinculum inter Deum & homines esse contenderunt. Pythagoras apud Stob. *Serm. XI.* interrogatus, *τί ποιῶσιν ἄνθρωποι θεῶ ὅμοιον;* quid facerent homines, quo similes Deo evaderent? respondit: *ἐὰν ἀληθεύουσι, ἢ veritati studerent.* Similia loca ex Porphyrii *Vita Pythagorae*, Hieroclis *Commentario ad Aurea Pyth. carmina* aliisque veterum monumentis collegit Scheffer. *de Nat. & consuet. philosoph. Itak. Cap. VII. p. 47. sequ.*

## §. CXCVII.

Itaque hoc vinculum in voluntate quaerendum, Specia- cuius quum sint duae operationes *appetere* & *aversum* amofari: (§. XXVIII.) vnusquisque videt, *aversationem* nos cum Deo haut coniungere, sed *appetitionem*, quae, dum in bonum fertur, vti semper fertur, AMOR vocari solet. (§. XXXVII.) Est igitur amor vinculum illud, quocum Deo coniungimur.

## §. CXCVIII.

A Deo nos amari, iam supra ex insigni eius in Qui genus humanum beneficentia demonstratum est (§. vinculum CLXXXIX.) Si ergo & homo amore in Deum fertur: non potest non inde praeclara illa conjunctio Deum & oriri, homines.

○

oriri, in qua veram consistere felicitatem, diximus.

§. CXCIX.

**Amor complacentiae & concupiscentiae.** Distinguere hunc amorem solent in eum, quem **COMPLACENTIAE** vel **PVRVM**, & **CONCV-PISCENTIAE** vocant, quorum illo Deum tantum propter perfectiones; hoc etiam propter bona, quibus nos cumulat, amari aiunt. Sed quum Deus simul ens perfectissimum, (§. CLXXXI.) simul bonum summum sit: (§. CXCIV.) fieri non potest, quin vtroque genere amoris complectendus sit, & in abstractionem parum solidam abeat subtilis illa de amore Dei puro disputatio. \*

\* Eam iam mouerunt Epicurei, eorumque adflectae recutiti, Sadducaei. Instaurauit eam controuersiam Cameracensis, quae non sine inuidia agitata diutissime. Prodiere initio Franc. de Salignac Fenelon *Explication des maximes des saintes sur la vie intérieure*, in quo libello auctor venerandus amorem purum inculcat. Huic Lud. Ant. Noallius Archiepiscopus Parisiensis cum Bossueto & Godeto Episcopis Meldensi & Carnotensi opposuere *Declarationem*, quae vna cum superiore libello recusa est *Amstel.* 1698. in 12. Sequuta est Fenelonii *Instruction. pastorale*, eodem anno ibidem recusa. Prodiere etiam *Apologia pro Amore, quo Deum solum vere desideramus possidere* &c. itidem Fenelonio opposita, *Amst.* 1698. & *Lestre d'un Theologien de Louvain a un Docteur de Sorbonne*, pro illo scripta. *Leod.* 1698. in 8. *le Christianisme éclairci* *Amst.* 1700. in 12. cuius auctor se medium inter istos litigantes gerit. Vt similes libellos eius generis praetermittamus, tu adde *Acta Erud.* Anno 1701. p. 394. p. 507. Anno 1704. p. 412. Anno 1708. p. 358. p. 461. vbi Saurini, de la Placette, Malebranchii, Poirreti, aliorumque eius generis libelli recensentur.

§. CC.

**Necnon** Et quia amore aliquem persequimur vel tanquam  
ens

ens *perfectius*, vel tanquam nobis *aequale*, vel tanquam *inferius* atque *imperfectius*, primi generis amore DEVOTIONIS vel OBEDIENTIAE; secundi AMICITIAE; tertii BENEVOLENTIAE vocare solent.

obedientiae, amicitiae & benevolentiae.

§. CCI.

Ex quibus definitionibus consequitur, ut Deus homines se amantes complectatur amore BENEVOLENTIAE, qui, quatenus nullo nostro merito prouocatur, GRATIA; quatenus nos ex miseris nostris eripere cupit, MISERICORDIA \* adpellatur.

Quali amore nos Deus complectatur?

- \* Eam & pago dediti philosophi agnouere. Hinc preces illae: *κρίσι δάσσω, Domine miserere*, quae non modo Christianis a tot saeculis in litanis sollemnes fuere, sed & iam apud Arrian. in *Dissert. Epictet.* Lib. II. Cap. VII. occurrunt.

§. CCII.

Ex parte autem hominis non potest notum hic amor OBEDIENTIAE vel DEVOTIONIS esse, qui totum Dei cultum complectitur. Dum enim eius perfectiones ac bonitatem intuemur, eum *amare*; dum illam cum eius iustitia & potentia coniungimus, eundem *timere*; dum nobis praeter eius bonitatem & potentiam, etiam omniscientiam ad animum reuocamus omnem in eo *fiduciam collocare*; dum eius amorem & sapientiam contemplamur, *in eius voluntate adquiescere*; dum denique eius iustitiam cum nostra ab illo dependentia contendimus, ei *parere ac obsequi* \* nos debere facile animaduertimus.

Qualem debeat deus de cultus Dei internus?

- \* Et in his verus positus est cultus Dei internus. Sapienter Xenophon *Ἀπομνημονευμάτων* Lib. IV. Cap. III. §. 16. *πῶς ἔν αν τις κάλλιον καὶ ἰσοβέστερον τιμῆθ θεῶς, ἢ, ὡς αὐτοὶ κελεύουσιν; ἔτω ποιῶν; Qui*



*ergo possit aliquis rectius & religiosius Deos colere, quam ea, quae iusserint, faciendo?*

## §. CCIII.

Vnde  
exter-  
nus?

Quumque, quem calidius amamus, ei, nos no-  
straque omnia mancipare, ac veluti deuouere so-  
leamus quam libentissime: facile patet, & linguam  
*honorifice* de Deo *loquunturam*, eiusque beneficia *prae-  
dicaturam*, (§. CLXXXVIII. \*) & cum nemine  
*colloquunturam* libentius, quam cum Deo: \* mem-  
bra quoque reliqua omnia prouehendae Dei gloriae  
consecrata fore.

\* Plato in *Timaeo* p. 1046. πάντες, ὅσοι κατὰ βραχὺ  
σαφροσύνης μετέχουσιν, ἐπὶ πάσῃ ὁρμῇ καὶ σμικρῇ  
καὶ μεγάλῃ πράγματος, Θεὸν αἰεὶ καλοῦσιν. Ὅσους  
qui mentis compositi sunt, in operis cuiuslibet siue ma-  
gni siue parui exordio Deum inuocant. Adde eius-  
dem *Epist. VII.*

## §. CCIV.

An Deus  
etiam  
cultu ex-  
terno  
profe-  
quendus  
sit?

Ex quo de quaestione, *an cultu etiam externo  
Deus sit prosequendus?* facile potest ferri iudicium.  
Quamuis enim illo Deus haut indiget: sane nec  
interno indiget. Et ita natura comparatum est, vt  
affectus animi in verba aliasque externas actiones  
non possit non erumpere.]

## S E C T. III.

## DE SVMMI BONI EFFECTIBVS.

## §. CCV.

Summi  
boni ef-  
fectus.

**Q**uale sit summum bonum, haecenus vidimus.  
Iam demonstrandum, non posse non cum  
eius possessione veram felicitatem coniunctam esse.  
Id quod, si effecta huius possessionis expenderit,  
facile deprehendemus.

## §. CCVI.

Est illud *Verum* bonum ab *apparente* in eo differt, quod  
illud

illud simul IVCVNDVM, simul HONESTVM, simul VTILE fit. (§. CXLIV. \*) Id ergo de summo etiam bono, tanquam vere tali, erit adfirmandum.

simul iudicandum, honestum & utile.

## §. CCVII.

IVCVNDVM illud esse facile patet. Quum Hinc eius enim Deus propter se ipsum expetatur, neque sit primus aliud bonum praestantius, propter quod sit effectus tendus: (§. CXCII.) non potest sane mens, quin tranquillitas animi in eius possessione adquiescat. Vbi adquiescit mens, ibi nec tristitia, nec taedio, nec metu alioque adfermi. Quum perturbatur, (§. XXXII.) adeoque summa suauitate perfruitur. Id quod TRANQVILLITATEM ANIMI vocant philosophi.

\* Seneca de Tranqu. Animi Cap. II. Innumerabiles proprietates sunt, sed vnus effectus vitii, displicere sibi. Hoc oritur ab intemperie animi, & cupiditatibus timidis, aut parum prosperis, vbi aut non audent, quantum concupiscunt, aut non consequuntur, & in spem toti prominent, semper instabiles, mobilesque, quod necesse est accidere pendentibus ad vota sua. Omnia vita pendunt, & inhonesta se ac difficilia docere coguntque, & vbi sine praemio labor est, torquet illos irritum dedecus, nec dolent, praua, sed frustra voluisse. Tunc illos & poenitentia coepta tenet, & incipiendi timor, subrepsitque illa iactatio animi, non inuenientis exitum, quia nec cupiditatibus suis imperare, nec obsequi possunt, & cunctatio vitae, parum se explicantis, & inter desiliuta vota torpentis animi situs.

## §. CCVIII

Est itaque TRANQVILLITAS animi adquiescentia mentis in fruitione Dei, qua homo omnia, tranquillitatem mentem perturbant, vincit, & in medijs calamitatum fluctibus non expauescit, sed sua contentione contentus & viuit & viuere desinit.

## §. CCIX.

Causae tantae suauitatis quam plurimae. Quum Eius enim de eo, quod vere amamus, assidue ac cum causa

**prima:** in intel-  
lectu. incredibili voluptate cogitemus: quam iucundam  
quaeso sapienti oportet esse contemplationem Dei,  
in quo immensam perfectionem, bonitatem, gra-  
tiam, misericordiam, perspicit, & maiora ea omnia  
quotidie experitur, quam mente vnquam adsequi  
potuit?

## §. CCX.

**Secunda** in con-  
scientia. Deinde quum improbis cruciatus maximos exci-  
tet mens, admissorum scelerum sibi conscia: (§. C.)  
nihil est, quod eos vereantur sapientes, qui summi  
boni facti sunt compotes. Quum enim Deum a-  
ment, & a Deo amentur: (CXCVIII.) cur ab eo  
seruili metu abhorrent? Et quum eum colant,  
honorent, ei obsequantur: cur se admissi sceleris  
reos peragerent? Nonne ipsa potius conscia mens  
recti ipsis perpetuae epulae viderentur? \*

\* Hinc illa ἡδύια ἔλπις, iucunda spes, quam Plato;  
illa ελευθερία, seu libertas, quam Periander con-  
scientiae rectae tribuebat: Hinc solos Socrates ἀτα-  
ξάχως, id est, circa perturbationem, viuere dicebat,  
ὅτις μηδὲν ἐαυτοῦς ἄτακτος συνιδότας, qui sibi nullius  
absurditatis essent conscii.

## §. CCXI.

**Tertia in** volunta-  
te. Quumque voluntas quam maxime turbetur, si  
desiderium eius haut expleatur: (§. CI.) non est,  
quod id vereatur vir sapiens, qui dum solum Deum  
anhelat, bonum infinitum anhelat, idque tale, quod  
solum istud desiderium omnino explere possit.

## §. CCXII.

**Quarta** in adfe-  
ctibus. Cessabunt etiam illi animi tumultus, quos adfe-  
ctus excitare solent. Oriuntur enim hi ex reprae-  
sentatione boni vel mali. (§. XXXII.) Qui autem  
summo bono potitus est, is nec bona minoris pre-  
tium tanti facit, vt eorum iactura excrucietur, nec  
mala vlla tam intolerabilia existimat, vt eorum  
caussa se minus beatum iudicet.

## §. CCXIII.

**Quinta** Aequo ergo animo carebit opibus, honoribus,  
&

& voluptatibus, quam ea omnia nec meliores red- in statu,  
dant homines, & saepe eosdem vera felicitate pri- hominis  
uent. Quin, quum & fiduciam in Deo omnem virtute  
collocet, & in eius voluntate vnice adquietat, (§. praediti  
CCII.) nec ea, quibus opus est, sibi deesse, nec  
pauperiem, ignominiam, dolores sibi nocere posse,  
persuasissimus erit.

## §. CCXIV.

Multo minus mortem metuet. Quamuis enim Sexta in  
ea in se mali quid sit: (§. CLIII.) accurate tamen morte.  
intelligit sapiens, illi, qui cum Deo vnitus est, il-  
lam malam esse non posse, quia bonum illud sum-  
mum est sempiternum, (§. CXCI.) adeoque a  
mente immortalis amitti non potest, si vel maxime  
corpus in sua elementa, ex quibus conflatum est,  
resoluatur. \*

\* Hinc facile patet, cur Aristoteles mortem adpellarit *φ-  
ερίων φοβερών*. Nec minus unusquisque ani-  
maduertet, quid in Platonis *Phaedone*, & Boëthii libel-  
lo *de consolatione ex philosophia* desiderandum sit. Deni-  
que non difficile erit, iudicare, an vlla *εὐδαιμονία*  
esse potuerit eorum, qui immortalitatem mentis in  
dubium vocarunt, & cur tamen & Epicurei quidam,  
quin & Athei, mira constantia diem obiisse supre-  
mum legantur. Addantur Petrus Bayle in *Diff. Hist.  
Cris. sub voce T. Lucrece p. 1809.* & Gottfrid. Olearius  
*Diff. de morte contemnenda.*

## §. CCXV.

Ita sapiens suae se virtuti inuoluit. Ita si fractus Conclu-  
illabatur orbis, impavidum ferient ruinae. Vt si do-  
paucis dicamus, sapientis animus est, sicut Olym-  
pus, qua nubes transcendit: semper ibi serenum de tran-  
quillita-  
est.

## §. CCXVI.

Deinde quum omne bonum verum simul HO- Alter  
NESTVM sit: (§. CXLIV. \*) eius sane possessio summi  
nem cum vera VIRTUTE coniunctam esse oportet, boni ef-  
tet,

fectus, virtus. tet, adeoque is alter effectus erit, qui ex fruitione summi boni proficiscitur.

Quid virtus?

§. CCXVII.

Est autem VIRTUS constans ac sincera voluntas actiones ad diuinæ voluntatis normam instituendi. \*

\* Siue autem ex *ratione*, siue ex *reuelatione* voluntas illa diuina innotescat, perinde est. Non minus enim illi, quam huic, debemus obsequium, & aequè peccant, qui contra rectam rationem, quam qui contra legem Dei positivam aliquid admittunt. Ex quo simul patet, quam absurda sit illa Iesuitarum de peccato *philosophico* & *theologico* doctrina, quæ Antonio Arnaldo vera visa est hæresis. (Hist. phil. §. XCI. \*) Exstant eius *Nouvelle heresie dans la morale, denoncée au Pape*. Colon. 1689. in 12. item *Seconde Denonciation de la nouvelle heresie du peché philosophique*. Col. 1690. 12. & *Troisième Denonciation de la nouvelle heresie du peché philosophique*. 1690. 12.

§. CCXVIII.

Virtus est voluntas. Quum itaque virtus sit *voluntas*: (§. CCXVII.) consequens est, 1) vt *prudentia* a veteribus philosophis pro virtute frustra habeatur, quippe quam ad habitus intellectuales pertinere, nemo temere negauerit. 2) Vt semper cum *studio, inquirendi in voluntatem Dei* coniuncta sit.

§. CCXIX.

Constans. Quum deinde sit *constans* voluntas: (§. CCXVII) consequens est, 3) virtutem coniunctam esse cum *habitu* tali, vt homo nullam actionem malam, vel omissionem boni cum vera virtute consistere posse statuatur, adeoque 4) nunquam sponte & *in contemptus* contra voluntatem Dei peccet. \*

\* Et

\* Et hinc recte Stoici virtutem omnem positam arbitrabantur in consentiente cum ratione & perpetua constantia. Cic. *Paradox. III. Cap. I.* vel in *constantie ac perpetuae vitae ratione.* Idem de *Legib. Lib. I. Cap. XVII.* Vid. *Elem. nostrae Iur. Civ. secundum Ord. Pandect. Part. I. §. II.* \*

## §. CCXX.

Quin exinde colligimus, 5) virtutes omnes inseparabili vinculo connexas, immo 6) *vniam* tantum virtutem esse, quum vnica tantum sit constans ac sincera voluntas ad normam diuinæ voluntatis vi-  
vendi. \* Vnica.

\* Haec quoque viderunt Stoici, quamuis ideo ab aliis philosophis perperam exagitati. Vid. Lips. *Manud. ad philosoph. Stoic. Lib. III. Diff. IV.* Et quid aliud sibi volunt illa Apostoli: Οτις γαρ ὅλον τὸ νόμον τηρήσει, πταίσει δὲ ἐν ἐνί, γίγνεται πάντων ἁνοχος. *Qui enim totam legem seruauerit, & transgressus fuerit vniam, totius violatae legis reus erit.* Iac. II, 11.

## §. CCXXI.

Praeterea, quum *serium* esse oporteat viri boni *Seria* propositum, secundum voluntatem diuinam agendi: (§. CCXVII.) per se patet; 7) virtutem non in folis actionibus externis, sed in emendata mente, consistere, & 8) ex hac deinde actiones virtuti consentaneas sua sponte proficisci. \*

\* Et hinc aliud *iusta*; aliud *iuste agere.* Eleganter Philemon apud Stobaeum *Serm. LX.*

Ἄνὴρ δίκαιός ἐστιν. ὃς ὁ μὴ ἀδικῶν,  
 Ἄλλ' ὅς, τις ἀδικίῃ δυνάμει μὴ βέλτεται,  
 Οὐδ' ὅς τὰ μικρὰ λαμβάνει ἀπίχτιτο,  
 Ἄλλ' ὅς τὰ μεγάλα καρτερῶ μὴ λαμβάνων,  
 Ἐχὴν δυνάμει, καὶ κρατεῖται ἀζημίως.  
 Οὐδ' ὅς γὰρ ταῦτα πάντα διατηρεῖ μίσην,

O 5

'A2'

Αἴμα' ὄσ, τῆ ἀδελαν ὑπάρειν τ' ἔχων φῦσιν  
 Εἶμι δικαιο, κ' ἔδοκῆν ἱναε, Σίλαμ.

*Non iustus omnis abstinens iniuriae est,  
 Sed qui, nocere dum potest, abstinet.  
 Nec qui recusat parua, sed qui maximis  
 Tentatus, animi robur inuictum gerit.  
 Nec quisquis illa quolibet praestat modo,  
 Sed qui, dolosi nescius fuci, integra  
 Probitate iustus esse, non credit studet.*

## §. CCXXII.

Eius norma voluntas diuina. Quumque verae virtutis norma sit *voluntas diuina*: (§. CCXVII.) facile adparet, 9) non esse in hominis arbitrio, sibi ipsi fingere normam actionum suarum, adeoque 10) non excusari semper, qui agunt secundum conscientiam, & 11) multo minus pro virtute praeditis habendos, qui quidquam agunt, quod Deus ab vlllo hominum nec per rationem, nec per reuelationem, vnquam exegit. \*

\* Et hinc adparet, ipsi sanae philosophiae morali repugnare flagella, aliasque ἀσκήσεις, quas & veteres & noui quidam sapientes viam ad beatitudinem proximam, quin genuinam virtutem esse, arbitrantur. Vid. Boileau *Historia flagellantium*, & Io. Franc. Buddei *Diff. de ἀσκήσει philosophica*.

## §. CCXXIII.

Mediocritas in virtute. Ex eodem consequitur, 12) virtute praeditum ita inuestigare voluntatem diuinam, vt obieruet mediocritatem, & nec in excessu, nec in defectu aduersus voluntatem diuinam peccet. \*

\* Notum est, Aristotelem ipsam virtutem definiuisse, quod sit *habitus consistens in mediocritate*. Quamuis autem haec definitio non nisi nominalis sit, & hinc essentiam virtutis minus exhauriat: verum tamen est, virtutis eam esse proprietatem, quod neque in excessu, neque in defectu peccet. Vti enim, qui plus

plus probat, nihil probat; ita & qui plus facit, quam voluntas diuina exigit, eam voluntatem Dei plane non videtur exsequutus. Multoque minus, qui minus, quam Deus exigit, facit. Mediocritas autem non rei, sed rationis, hic intelligenda. Quod quum non animaduuerit Lactant. *Instit. Diuin. Lib. VI. Cap. XVI.* male hanc veritatem ex ea ratione in dubium vocat, quod interdum & modicum gaudere vitiosum, interdum vel exultare laetitia, non sit criminofum. Vid. Hornei. *Ethic. Lib. III. Cap. I. §. XVII.*

## §. CCXXIV.

Denique quia virtutis amans actiones suas ad normam diuinæ voluntatis instituit: (§. CCXVII.) nemo dubitabit, 13) quin non modo quod Deus præcipit, faciendum, sed &, quod prohibet, o-mittendum sit, adeoque 14) is minime omnium viri boni nomen mereatur, qui quidem multas actiones, legi materialiter conuenientes, edit, nec tamen a malo abstinere, vel 15) qui a vitiis quidem abhorret, nec quidquam tamen boni facit.

Virtutis est facere & omittere.

## §. CCXXV.

Nec minus res ipsa docet, 16) ob eandem rationem virtutem non esse propositum bene & secundum voluntatem diuinam agendi, nisi accedat necessitas mediiorum, quibus ad eum finem peruenire liceat.

Et vitia mediis

## §. CCXXVI.

Talem esse oportet virtutem, quae id nomen cum laude tueatur. Quamuis vero non nisi vna sit: (§. CCXX. 6.) negari tamen non potest, eam verisari circa obiecta varia, variisque se exserere occasionibus, & hinc varias etiam denominationes adsciscere posse. \*

Virtutis vnius variae denominationes.

- \* Quemadmodum vna mens est, & ea tamen, prout bonum adpetit, & malum auerfatur, voluntas appellatur; ita & vnica illa virtus, prout circa diuersa



uersa obiecta versatur, vel certis occasionibus sese exserit, modo *fortitudo*, modo *iustitia* modo aliis nominibus vocatur.

## §. CCXXVII.

Quid pietas, iustitia, temperantia? Sic constans illa ac sincera voluntas, actiones omnes, quae ad Deum pertinent, ad normam voluntatis diuinae exigendi, vocatur PIETAS; si voluntas illa nostra circa actiones, quae ad officia erga alios homines pertinent, occupata est, IVSTITIA; si denique circa officia, nobis ipsis debita versatur, TEMPERANTIA. \*

\* Et hae vere cardinales virtutes, seu modificationes vnicae istius virtutis praecipuae, quas & Apostolus coniungit, dum de gratia salutari, quae omnibus hominibus apparuit, praedicat, quod nos eo adducere debeat, *ὡς σωφροσύνης, καὶ δικαιοσύνης, καὶ εὐσεβείας ζητοῦμεν ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, ὡς temperanter, iuste ac pie viuamus in hoc saeculo.* Tit. II, 12.

## §. CCXXVIII.

Vitia opposita pietati. Quemadmodum autem vera virtus nec in excessu, nec in defectu peccat: (§. CCXXIII.) ita facile patet, pietati ex vna parte ATHEISMVM & IMPIETATEM; ex altera SUPERSTITIONEM quam maxime repugnare, quorum vitiorum illud Deo officia, quae exigit, denegat; hoc cultum, quem non exigit, & qui a natura eius abhorret, obtrudit.

## §. CCXXIX.

Iustitiae. Nec minus contra iustitiam & excessu & defectu peccari potest, dum vel nimium vni, vel alteri iusto minus tribuitur. Sed quia vtrumque extremum in vna actione obseruatur, hinc iustitiae vnum tantum opponitur vitium, INIVSTITIA.

## §. CCXXX.

Temperantiae. Porro temperantiae ex altera parte INTEMPE-

PERANTIA, quae voluptatibus nec finem, nec modum statuit, ex altera ΑΝΑΙΣΘΗΣΙΑ, quae nec licitis frui sustinet, omnino repugnat. \*

\* Vnde qui genium defraudant, & quum rebus omnibus abundant, ferias agunt ciuriales, & nudi incedunt, ne quid ex numerorum strue deminuat, ii non magis temperantes sunt, quam homines, fruges consumere nati.

§. CCXXXI.

Ita porro voluntas constans, ac sincera rebus vtilibus recte vtendi varias potest fortiri denominationes. Dum enim aliena non adpetit, ABSTINENTIA; dum aliis subuenit, in priuatis LIBERALITAS, in viris principibus atque illustribus MAGNIFICENTIA \* vocatur.

\* Hac virtute ornatum Cyrum suum describit Xenophon. Talem ipse se esse gloriabatur Alexander M. qui, se a nemine beneficiis victum, dicere solebat. Sen. de Benef. Lib. V. Cap. VI. Nec ignotum est, Titum visum sibi diem perdidisse, si quando nihil cuiquam praestitum, meminisset. Sueton. Tit. Cap. VIII. Egregia profecto virtus, si ex constante ac sincera voluntate actiones ad normam voluntatis diuinae instituendi proficiscitur. Si enim illa magnificentia ad captandam gloriam hominesque sibi deuinciendos comparata est, non virtus erit, sed virtutis simulacrum, splendidum illud quidem, at simulacrum tamen.

§. CCXXXII.

Si his virtutibus ratio non constat: \* eae facile in RAPACITATEM, vel CYNICAM PAVPERTATIS AFFECTATIONEM, in TENACITATEM vel PROFVSIONEM, denique in LVXVM vel SORDES degenerant.

\* Non

\* Non autem constabit ratio, si nec 1) facultatum nostrarum, nec 2) personae, cui beneficiendum, nec 3) necessitatis, in qua ei subueniendum, nec, 4) effectus, quem illa liberalitas habitura sit, rationem habeamus. Sic e. g. cum detrimento familiae saginare ventres otiosos, & hominibus culpa sua mendicantibus alimenta pinguiora decernere, denique magno sudore parva iis elargiri, qui accepta in popinis & lupanaribus male consumunt, non est liberalitas, sed profusio, quamvis in dubio nos minus suspicaces esse deceat.

§. CCXXXIII.

Propositum sincerum ac constans circa honores recte versandi vocatur **MODESTIA**, cui **SVPERBIA** & **CYNICVS OMNIS HONORIS CONTEMPTVS** opponuntur.

§. CCXXXIV.

Ita & virtus, quae circa id, quod iucundum vel iniucundum est, recte se gerit, modo **CONTINENTIA**, modo **PATIENTIA**, modo **FORTITUDO** vocatur, quibus ex vna parte **INCONTINENTIA**, **IMPATIENTIA**, **PVSILLANIMITAS**; ex altera **ANAISOHEIA**, de qua supra diximus, (§. CCXXX.) **SVI ODIVM**, & **TEMERITAS** opponuntur.

§. CCXXXV.

Sunt & aliae huius generis virtutis denominationes. Nam in primis etiam id agit vir sapiens, vt in rebus indifferentibus, quoad fieri potest, se aliorum attemperet moribus. Inde nascitur studium **DECORI**, quod nihil aliud est, quam qualitas moralis actionum indifferentium, quibus homo amorem aliorum sibi conciliare studet. \*

\* Homo enim virtutis amans non viuit in solitudine; sed in societate humana. Qui in societate humana viuit, commode non viuet, & nec sibi, nec aliis proderit, nisi aliorum sibi amorem conciliet. Nec aliorum amorem sibi conciliabit, nisi & actiones indif-

indifferentes ad eorum sensum attemperet. Id qui facit, decoro studet. Homo ergo virtutis amans decoro studet. Hinc quid de Cynicorum impudentia & decori neglectu (Hist. philos. §. LXXXV.) statuendum sit, facile patet.

## §. CCXXXVI.

Quaedam actiones indifferentes ita comparatae Deco- sunt, vt toti humano generi placeant, vel displicent: quaedam non vbique, nec semper, placent vel displicent. \* Prioris generis actiones ad DECORVM IVRIS NATVRAE; posterioris ad decorum POLITICVM pertinent.

\* E.g. Nudum incedere, & verendas corporis partes conspicendas praebere, omnibus hominibus displicet, qui non omnem humanitatis sensum amiserunt. At tegere caput aliis praesentibus, digitosque admouere lactucae in patina pinguefactae, in Germania indecorum videtur: alibi id facere neminem pudet. Pertinet ad posterioris generis decorum Cornelii Nepotis praefatio elegantissima de diuersis Graecorum Romanorumque moribus.

## §. CCXXXVII.

Hinc ex prioris generis decori studio nascuntur Virtutes VERECVNDIA, VERACITAS, HVMANITAS, ex decoro posterioris VRBANITAS, quibus ex ro natae, vna parte PVDOR SVBRVSTICVS, GARRVLITAS, ADVLATIO, SCENICA VRBANITATIS AFFECTATIO, ex altera IMPVDENTIA, MENDACIVM & DISSIMVLATIO, INHVMANITAS, RVSTICITAS repugnant.

## §. CCXXXVIII.

Nec alterius generis decoro ita studebit sapiens, Eo & gra- vt omnem prauam vel saltim stolidam consuetudinem imitetur, quamuis eam toleret, & humanum moderagenus ex meris sapientibus haut constare posse, statio pertinet. Inde nascuntur aliae virtutes, non minus nent. splendidae, GRAVITAS in incessu, vestitu, verbis,

bis, iocis, & MODERATIO, quibus ex vna parte ΜΙΣΑΝΘΡΩΠΙΑ & LEVITAS, ex altera nimia LENITAS & nimius RIGOR aduerfantur.

## §. CCXXXIX.

**Virtutis modificationes innumeratae.** Sed quis omnes virtutis modificationes referat? Quod Stoicorum fuit *παράδοξα*, solum sapientem, (id est, virtute praeditum,) esse diuitem, liberum, regem, amicum, pulcrum, nobilem, ciuem, magistratum, vatem, rhétorem, & plura: id verissimum est, si recte intelligatur. In quacumque statione eum collocavit supremum Numen, in ea ita versatur, vt personam suam non incommode egisse videri possit. \* Et hinc mille aliae virtutum denominationes oriri poterunt.

\* Ita vero intelligenda illa Stoicorum *παράδοξα*. Eleganter Athenaeus *Lib. IV. Deipnos.* Στωϊκὸν δὲ δόγμα ἐστίν, ὅτι πάντα ἐν ποιήσει ὁ σοφὸς, καὶ Φακὸν Φρονίμως ἁπλῶς. *Stoicum dogma est, omnia recte facere sapientem, etiam dum lenticulam condit.* Et Horat. *Lib. I. Serm. Sat. IV.*

- - - Non nosse, quid pater ille  
Chrysippus dicat? Sapiens crepidas sibi numquam;  
Nec soleas fecit: futor tamen est sapiens. Quo?  
Vt, quamuis tacet Hermogenes, cantor tamen atque  
Optimus est modulator;  
- - - Sapiens operis sic optimus omnis  
Est opifex.

## §. CCXL.

**An & temperamenti vis sit circa virtutem?** Quamuis autem virtus sit vna, (§. CCXX, 6.) eaque variis sese exferat occasionibus (§. CCXXXVI) fatendum tamen est hinc quoque vim aliquam temperamenti se proderere, easque virtutes tanto magis elucere, quae huic vel illi temperamento magis conueniunt. \*

\* Hinc quamuis vera virtute eminuerint, Ioannes & Paullus,

Paulus Apostoli: in Paulo tamen maiorem feruorem in conuertendis paganis, in Ioanne maiorem feruorem amoris ac dilectionis eluxisse, facile deprehendes.

§. CCXLI.

Ceterum quantum ad veram felicitatem conferat Virtutis virtus, vel inde patet, quod hominem in libertatem adferit, voluntatis morbis medetur, mentemque tranquillam, & retinendo summo bono idoneam reddit.

§. CCXLII.

Tertius summi boni effectus est vera AMICITIA, qua nihil in vita stauius, nihil vtilius est. Quam enim omne verum bonum simul VTILE, simul honestum, ac iucundum sit: (§. CXLIV. \*) vtilitas autem non immediate tantum a Deo, sed & mediate ab amicis proficisci solet: consequens est, vt virtute praediti illam vtilitatem tanto certius sperare possint, quanto magis ad veram amicitiam sunt idonei. \*

\* Hoc ex instituto ostendit Cicero in *Laelio seu de amicitia*, imitatus, vt videtur, Chrysippum, qui itemdem *περι Φιλίας*, seu de amicitia scripsit, teste Laert. *Lib. VII. Segm. 175.*

§. CCXLIII.

Est autem AMICITIA animorum, idem volentium idemque nolentium, coniunctio, † ad communem amantium vtilitatem comparata.

† Ad quam definitionem pertinent illa Ciceronis: *Idem velle ac idem nolle, ea demum firma amicitia est. & Amicorum omnia communia*, nec non illa Zenonis: *τις ἐστὶ φίλος; ἄλλος ἐγώ.* Quis amicus est? alter ego, itemque Aristotelis: *τί ἐστὶ φίλος; μία ψυχὴ δύο σώμασιν ἐνοικῶσα.* Quid est amicus? Vna anima in duobus corporibus.

P

§. CCXLIV.

§. CCXLIV.

Conficit ea etiam inter absentes. Quum itaque amicitia sit coniunctio animorum: (§. CCXLIII.) consequens est, 1) ut sola consuetudo familiaris non sit amicitia, & 2) haec potius inter absentes etiam consistere possit.

§. CCXLV.

At non nisi inter virtute praeditos. Quumque idem velle idemque nolle, ea demum vera sit amicitia: (§. CCXLIII. \*) sequitur, 3) ut inter dissimiles amicitia locum non habeat, adeoque 4) nec inter duos sceleratos, \* nec inter virtute praeditos & sceleratos consistere possit, sed 5) tantummodo inter homines virtute praeditos.

\* Aut enim diversis vitiis dediti sunt, aut vni eidemque. Si diversis sunt dissimiles: adeoque non idem volent nolentque, ac proinde non erunt amici. (§. CCXLIII.) Sin vni eidemque vitio student, unusquisque suae cupiditati satisfactum cupiet, adeoque non omnia referent ad communem utilitatem, ac proinde ne sic quidem alter alteri amicus erit. (§. eod.) Recte ergo Quintilian. *Declam. CLXXXII. Iungit amicitias similitudo morum; nescio quomodo inter se amicorum lumina vident & agnoscunt, nec quisquam amare in altero potest, nisi quod tacitus probat.*

§. CCXLVI.

Quod & Stoici agnoverunt. Ex eodem patet, 6) verissimum esse, quod omnibus fere philosophis in Stoicis visum est παράδοξον, τὴν φιλίαν ἐν μόνοις τοῖς σπουδαίοις ἴσται, διὰ τὴν ὁμοίτητά. *Amicitiam in solis bonis esse, idque ob similitudinem.* Laërt. in Zenone.

§. CCXLVII.

Eius effectus. Denique quia amicitia ad communem utilitatem est comparata: (§. CCXLIII.) consequens est, 7) ut amicus amici commodis non minus studeat, quam suis. 8) Ut amici communem habeant utramque fortunam, & hinc 9) se invicem consilio, re, ac opibus

opibus adiuent. 10) Vt tamen amicus amicum plus teneatur, quam se ipsum amare non teneatur. \*

\* Atque hoc recte vidit Cicero, cuius loca ex *Lib. III. Quæst. Tusc. & Lib. III. de Finib.* protulit Lips. in *Manud. ad Philos. Stoic. Lib. III. Diss. XVI. p. m. 793.* Itaque intra mediocritatem se non continuit Seneca *Epist. IX. & VI. vbi amicos cum amicis & pro amicis etiam mori, existimat.*

## §. CCXLVIII.

Ex quo facile patet, 11) amicos veros amicis Suauitas non adulari, quin 12) infensissimum inimicum praeindemastare amico adulate. \* 13) Non posse non vitam esse suauissimam, his suffultam praesidiis.

\* Hinc eleganter Diogenes dicere solebat: *Qui saluus esse cupias, ei aut amicos optimos esse oportere, aut inimicos infensissimos. Illos enim docere, quid factu opus sit; hos redarguere, si quid mali feceris.* Et eo pertinet Plutarchi libellus elegantissimus; *πῶς ἂν τις διακρίνει τὸν κόλακα τῷ φίλῳ; quomodo adulator ab amico internosci possit?* Tom. II. *Opp.* p. 61.

## CAP. IV.

## DE MEDIIS AD VERAM ILLAM FELICITATEM PERVENIENDI.

## S E C T. I.

## DE SVI IPSIVS COGNITIONE.

## §. CCXLIX.

Consideratis, quae ad naturam hominis morale & summum bonum pertinent, omnibus, proximum est, ut, qua via ad veram felicitatem eatur, ostendamus. (§. VIII.)



## §. CCL.

Prima  
via ad  
felicita-  
tem est  
cognitio  
sui.

Quum tale sit summum bonum, vt ab omnibus media non adspernantibus possit obtineri, (§. CLXIII.) media autem adspernari omnino debeat, quicumque nullo summi boni desiderio tenetur, denique desiderio eius teneri nequeat, nisi qui miseriam suam accurate perspectam habet: \* consequens est, vt bene viderint veteres, primam ac praecipuam, quae ad sapientiam ducit, viam esse illud: *γνώσις εαυτοῦ, νοῦσι τεισψυμ.* \*\*

\* Seneca *Epiſt.* XXVIII. *Initium est salutis notitia peccati. Egre mihi hoc dixisse videtur Epicurus. Nam, qui peccare se nescit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet, antequam emendes. Quidam vitiiis gloriantur. Tu existimas, aliquid de remedio cogitare, qui mala sua virtutum loco numerant? Ideo, quantum potes, te ipse coargue, inquire in te, accusatoris primum partibus fungere, deinde iudicis, nonissime deprecatoris. Aliquando te offende.*

\*\* Hanc ad veram felicitatem perueniendi rationem omnes commendarunt philosophi veteres. Eleganter Muret. *Lib. I. Orat. X.* quae est *de sui cognitione: Quoties audimus, Apollinem respondisse Croeso, beatum eum fore, si se cognosceret: quoties praeceptum eadem de re in templo Delphico inscriptum fuisse legimus: toties illud cogitare debemus, magnum quoddam bonum esse cognitionem sui, quum inter omnes omnium aetatum sapientes viros conueneris, in eo positum esse fundamentum felicitatis, neque ulla re unumquemque nostrum in plura aut grauiora mala, quam sui ipsius ignoracione, prolabi. Legenda & cetera, quae sequuntur, satis praecleara.*

## §. CCLI.

Totius  
hominis  
notitia  
opus est.

Et quamuis Plato in Alcibiade primo, vbi hanc regulam ex instituto interpretatur, hypothese suae feruens, (*Hist. phil.* §. LXV.) illam sui cognitionem ad solam mentem pertinere existimet: tamen, quum

quum & corpus pars essentialis sit hominis, (§. XI.) illudque non parum faciat ad mores: (§. LVI.) eius quoque cognitionem non plane negligendam esse, facile vnusquisque animaduertit.

## §. CCLII.

Quod ergo primo ad MENTEM attinet, eam Mens dupliciter cognoscimus, vel COMPARATE, vel non modo ABSOLVTE. Prius fit, quoties nos cum bestiis contendimus, & quantum illis praestemus, consideramus paullo accuratius. Sed, qui ea sola sui exploratione contenti sunt, in varia ac periculosa praecipitia facile prolabantur. \*

- \* Nam ita philosophantes in eam ambitionem ac superbiam facillime incidunt, vt sibi natura fati praefidorum esse existiment ad bene beateque viuendum. Hinc illa Stoicorum: *In nostra potestate* (ἐφ' ἡμῶν) *esse opinionem, appetitionem, desiderium, auersationem & quaslibet nostras actiones.* Epictet. *Enchir. Cap. I.* item: *Εξάλειψε τὰς φαντασίας, συνεχῶς σεαυτῷ λέγων. ὦν ἐπ' ἐμοὶ εἰσιν, ἵνα ἐν ταύτῃ τῇ ψυχῇ μηδεμία πονηρία ἢ, μηδὲ ἐπιθυμία, μηδὲ ὄλως παραχῆ τις, ἀλλὰ βλέπων πάντα ὅποιά εἰσιν χεῖρας ἐκάστω κατ' ἀξίαν. μίμνησο ταύτης τῆς ἐξουσίας κατὰ φύσιν.* *Imaginationes dele, saepe tecum sic loquendo: Nunc in potestate mea situm est, vt nulla in hac anima existat improbitas, nulla cupiditas, nulla animi perturbatio, sed vt omnibus, qualia reapse sunt, perspectis, pro existimatione sua singulis vsar, memento potestatis huius, a natura tibi tributae.* Marcus Anton. *Imp. εἰς ἑαυτ. Lib. VIII. §. 29.*

## §. CCLIII.

Potest tamen & haec comparata sui exploratio Quamuis vtilitatem aliquam adferre, si cum altera absoluta & illa non coniungatur. Qui enim se tot mentis corporisque titia non dotibus prae brutis a Deo ornatum esse, & has ta plane inmen facultates, nisi mens vere a vitiis emendetur, utilis sit, plus detrimenti, quam vtilitatis, adferre, probe

considerat: is facile intelliget, eam esse Dei optimi maximi voluntatem, atque id consilium, vt homo de sui emendatione & adsequendo summo bono sit vnice sollicitus, vt & vita ac moribus a brutis animantibus se segreget, & non adpetitiones illas, homini cum his bestiis communes, sed rectam rationem, ducem sequatur. \*

\* Elegans eam in rem locus est apud Arrian. *Lib. I. Diss. Epist. Cap. VI.* Τὸν δ' ἀνθρώπου ὁ θεὸς θεατὴν εἰσήγαγεν αὐτῷ τε καὶ τῶν ἔργων τῶν αὐτοῦ, καὶ εἰ μόνου θεατὴν, ἀλλὰ καὶ ἐξηγητὴν αὐτῶν. Διὰ τοῦτο αἰσχρὸν εἶσι τῷ ἀνθρώπῳ ἄρχεσθαι καὶ καταλήγειν, ὅπου καὶ τὰ ἄλογα, ἀλλὰ μᾶλλον ἔνθεν μὲν ἄρχεσθαι, καταλήγειν δ' ἐφ' ὃ κατέλαξεν ἐφ' ἡμῶν καὶ ἡ φύσις. κ. τ. λ. *Deus introduxit in mundum hominem, tanquam inspectorem operum suorum, ac non cognitorem solum, verum etiam interpretem. Quare turpe est homini, si inde incipias, & eodem desinas, ubi cetera solent ratione desisuta. Magis enim conuenit, inde incipere, in eo autem desinere, quousque natura nos nostra euaxit ac produxit. &c.*

#### §. CCLIV.

Sed & absolute. Potius itaque omne punctum fert cognitio sui absolute talis, adeoque danda nobis opera est, vt nostrae primum VOLVNTATIS, tum deinde INTELLECTVS, ac CORPORIS, (§. CCLI.) ac denique totius STATVS nostri notitiam adquiramus accuratorem.

#### §. CCLV.

Et quidem quoad voluntatem. Circa VOLVNTATEM, (quo & ADPETITVM SENSITIVVM referimus, (§. XVI.) dispiciendum erit, 1) quid maxime concupiscamus? 2) quibus laboremus vitiis? 3) quodnam in his primum locum obtineat? 4) quomodo erga Deum, nos ipsos ac alios adfecti simus? 5) quibus in rebus maxime aduersus iusti, honesti, ac decori regulas peccemus? & 6) a quibus denique veris bonis quam saepissime abhorreamus?

#### §. CCLVI.

## §. CCLVI.

Quum vero ea in re facile quisque falli ac decipi possit, dum vel sibi ipsi blanditur & parcat, vel ex vitiis primariis id, quod speciem aliquam virtutis prae se fert, sibi tribuit: tres in primis commendandae sunt regulae: 1) vt quis & indifferentes cogitationes, quibus praecipue indulget, quam diligentissime exploret: 2) vt varia obiecta, variosque casus, quorum alius ad voluptatem vel dolores, alius ad opes vel paupertatem, alius ad honorem vel contemptum pertinet, sibi ob oculos ponat, & quid ipse electurus sit, secum cogitet: 3) vt, quibus praecipue affectibus concusiat, subinde confideret. \*

In qua exploranda caute procedendum;

- \* Si enim ad *iram* te incalescere senties quam saepissime: **AMBITIONEM** in te dominari scies. Si *spes, metus, amor, odium, zelotypia* te prae reliquis turbant: **VOLVPTATIS**; si denique *invidiam, metum, desperationem*: **AVARITIAE** primas partes esse facile animaduertes. (§. CII.)

## §. CCLVII.

Ita & ad **INTELLECTVS** tui recessus multo facilius iam penetrabis, circa quem dispiciendum erit, 1) quam diligenter res omnes contempletur? 2) quibus maxime praeeconceptis opinionibus indulgeat? 3) quomodo se iudicium, ingenium & memoria ac reminiscemia habeant? & 4) an denique tam prudenter rationes tuas componas, vt verae felicitatis tuae habeas rationem? Quae sane sui exploratio omnium difficillima est. \*

Quoad intellectum;

- \* Facilius enim homini vitiis obruto persuaseris, eum a vera virtute aberrare, quam homini stolido, eum laborare stultitia. Quin, quanto quis est stolidior: tanto magis sibi sapiens videbitur.

## §. CCLVIII.

Quum vero tam difficilis sit haec sui exploratio: Qui quo-  
P 4 (§. CCLVII.) modo

exploran-  
dus? (§. CCLVII.) id agendum est sapientiae studioſo,  
1) vt ſe virorum ſapientum examini ſubmittat, &  
2) horum monita audiat aequo animo, \* ſimulque  
3) ad conſiliorum ſuorum ac cogitationum euentus  
diligenter attendat.

\* Et hinc eſt, quod Plato dixit, σοφὸν ψευδόμενον ἐκ  
ἐπιγίγνωσθαι, ἐπαινούμενον δὲ ἐκ ἐπαίρεσθαι. Sapien-  
tiae ſtudioſum reprehensum non irasci, laudatum non  
extolli. Vere enim cognitionis ſui ipſius, id eſt,  
profectus in virtute, hoc indicium eſt, ſi quis alio-  
rum obſurgationes, non ex invidia ac odio, ſed ex  
amore proſectas, aequo animo ferat.

§. CCLIX.

Quoad  
corpus. CORPORIS exploratio maxime ad tempera-  
menta pertinet. Horum autem characteres iam ſu-  
pra (§. LVIII. ſeqq. & §. CXX. ſeqq.) tam diſtincte  
oſtendimus, vt, qui eos recte in conſilium adhi-  
buerit, ei non difficilis futura videatur haec inue-  
ſtigatio.

§. CCLX.

Quoad  
itaſum? Quum itaque haec voluntatis, intellectus, corpo-  
ris exploratio innumeros fere morbos, quibus la-  
boras, tibi detectura ſit: facile etiam perſpicias, ſta-  
tum tuum, qui ex hac mentis ac corporis tui im-  
perfectione & vitiis reſultat, non poſſe non eſſe  
miſerrimum. Quis enim ſe felicem putabit, qui  
morborum ſuorum aliquo ſenſu tangitur?

§. CCLXI.

Homo  
miferiae  
ſuae  
cauſſa. Multum tamen refert, te infelicitatem iſtam,  
quam ex vitiis oriri diximus, (§. XCVIII. ſeqq.)  
accurate conſiderare, & explorare ingenue, quibus  
potiſſimum calamitatibus premaris, ſimulque certo  
ſtatuerere, earum omnium cauſſam atque originem  
in te ipſo quaerendam eſſe. \*

\* Eſt ea hominum infelicitum indoles, vt infelicitatis  
ſuae cauſſam non in ſe ipſis, ſed in aliis ſitam exi-  
ſtiment, & ſemper alios, quam ſe, accuſare malint.  
Quem

Quem stultitiae humanae characterem elegantissime suo more expressit Seneca *Epist. L.* ubi de caecitate Harpastae suae lepide narrat: *Quid aliud agas, quam ut meliorem te ipse quotidie facias, ut aliquid ex erroribus ponas, ut intelligas, tua vitia esse, quae putas rerum? Quaedam enim locis & temporibus adscribimus: at illa, quocumque transferimus, sequuntur sunt.* Harpasten, uxoris meae fatuam, scis hereditarium onus in domo mea remansisse.

Haec fatua subito desuis videre. Incredibilem tibi narro rem, sed veram. Nescit, esse se caecam: subinde paedagogum suum rogat, ut migret, ait, domum tenebrosam esse. Hoc, quod in illa ridemus, omnibus nobis accidere, liqueat tibi. Nemo se avarum esse intelligit, nemo cupidum. Caeci enim ducem quaerunt, nos sine duce erramus, & dicimus: Non ego ambitiosus sum, sed nemo aliter Romae potest vivere. *Eccl. Legenda & cetera, quae me excubere pigeret, te non legisse puderet.*

## §. CCLXII.

Vnde enim omnia mala, nisi ex vitiis tuis, quorum haec maxima poena est, quod per se ipsa puniuntur? Et finge, alios te in hanc calamitatem coniecisse. Sane aut irritasti hos vitiis tuis, aut mala tibi non futura essent, de quibus lamentaris, si mentem haberes, vera virtute praemunitam. \* Etiam si ab aliis hominibus iniuria adficiatur.

\* Multa ignominiosa tibi non viderentur, nisi talia illa esse persuaderet ambitio. Ita & parum te habere, non doleres, nec accusares alios, qui te locupletare nolunt, nisi plura concupisceres, id est, nisi laborares avaritia. Et cur ad omnes casus trepidares, nisi mollitie & voluptate corruptum animum gereres? Recte Epictetus in *Enchirid. Cap. LXXII.* Φιλοσόφου χάρις καὶ χαρακτήρ, πᾶσαν ἀφέλειαν ἢ βλάβην ἐξ αὐτοῦ προσδοκᾷ. Σημεῖα προσκόπτουτος, εἰδέναι ψέγει, εἰδέναι ἰπαινῆ, εἰδέναι μὲμφεται, οὐδενὶ ἐγκαλεῖ. ὅταν ἐμποδισθῆ τι ἢ κωλύη, ἑαυτῷ ἐγκαλεῖ. π. τ. λ. *Philosophi status est & formula, omnem utilitatem ac nocumentum a se*

*ipso expectare. Signum proficientis hoc est: Neminem vituperas, neminem laudas, de nemine queritur, neminem accusas. Quum in re quapiam aut impeditur, aut prohibetur: se ipsum accusas. &c.*

## §. CCLXIII.

Cogni- Paucis: haec tui exploratio te facile conuincet, tionis hu- 1) mentem tuam ac corpus innumeris vitiis ac im- ius vtili- perfectionibus laborare. 2) Eorum malorum om- tas. nium causam in te ipso sitam, & 3) infelicitatem tuam tantam esse, vt mors tolerabilior vita futura sit, nisi signum receptui quam celerrime dederis. Multum profecisti, mihi crede, si viuum tibi huius rei scientiam pepereris.

## S E C T. II.

## DE CAPIENDO VERAE EMENDATIONIS CONSILIO.

## §. CCLXIV.

Homines I Nter corporis & animi morbos permultum in- amant vi- terest. Primo enim illos plerumque facillime tia sua. sentimus: hos, non nisi adhibito omni studio, deprehendimus. Deinde de illis a nobis amoliendis, simul ac eos sentire coepimus, laboramus diligenter, & ideo nec corpori, nec aeri parcimus: hos ita amare incipiunt homines, vt, si optio daretur, iis actatem frui, quam carere, omnino mallent.

## §. CCLXV.

Et tamen Itaque difficile non est, concipere propositum, capien- morbum corporis, si qua fieri possit, a se amolien- dum e- di: at difficillimum, capere consilium fugiendi vi- mendati- tia, mentemque iis obrutam emendandi. Et tamen onis con- opus est hoc proposito ei, qui ad veram ac solidam filium. felicitatem adspirat. \*

\* Eleganter Epictetus apud Arrian. *Lib. II. Cap. XIX,* ratiocinatus, discipulos monet, se ea docere, quibus

bus possint fieri meliores ac felices; discipulos ipsos ideo acroasibus interesse, ut meliores & felices fiant: felicitatem consequi & meliorem fieri, non esse ἐκ τῶν ἀδυνάτων, sed ex iis, quae obtineri possint. Quum igitur pauci nihilominus felicitatem hanc consequantur: fieri non posse, quin verum desit propositum: Τί θὺ θέλετε; inquit, ἀρχώμεθα ποτε τῆ αὐτὴν ἐπιβολὴν κομίζειν ἑνταῦθα, τὰ μέγιστε νῦν ἀφ᾽ ὧμεν. ἀρχώμεθα. μόνον πιστεύσατε μοι, καὶ ἴψασθε. *Quid ergo vultis? Incipiamus demum tale propositum concipere, ut quas praeterierunt, omissamus. Incipiamus, inquam. Credite mihi modo, & videbitis.*

## §. CCLXVI.

Itaque opus est argumentis, quibus mens, adeo Quod immersa vitiiis, ad concipiendum huiusmodi pro nobis positum excitetur. Quum autem ea sit natura voluntatis nostrae, ut naturaliter adperat bonum, & argueretur malum, (§. XXVIII.) & hinc semper a menta malo ad bonum moueatur: (§. XXXIV.) consequam quens est, ut non alia firmiora sint ad concipiendum verae felicitatis propositum incitamenta, plurima quam si homo sibi status sui praesentis miseriam, & summi boni veraeque felicitatis inde existentis suauitatem ac praestantiam viuide repraesentet. \*

\* Cur enim vitiiis suis tantopere oblectantur homines? Quia ea ipsis grata, iucunda, vitia videntur. Cur virtutem, cur ipsum summum bonum tam temere adspernantur? Quia illud cum molestia & omnis voluptatis priuatione coniunctum, adeoque boni nomine vix dignum esse, existimant. Quapropter si eo adducendi sunt, ut vitia adspernari, & virtutem summumque bonum sectari serio decernant: ita dirigendus erit animus, ut vitiiis nihil detestabilius, statu prauorum hominum nihil miserius, ac summi boni possessione nihil suauius praestantiusque esse, agnoscat. Vfus est hac methodo ipse Sernator, dum status sui miseriam agnoscentes vocat τοὺς καπιῶντας



τας και πεφορτισμένους, laboriosos & onustos; summae vero felicitatis, quam pollicetur, possessionem ἀνάπαυσιν τῶν ψυχῶν, requiem animarum, quin ζυγὸν Χρυσῶν και φορτίον ἐλαφρῶν, iugum suave & facile. Matth. XI. 28. seqq.

## §. CCLXVII.

Veluti I. ipsa vitiosorum miseria. STATVS sui MISERIAM non rectius sibi ob oculos ponet homo, quam si illam & voluntati diuinæ aduersari, & nihil solidi habere; & cum innumeris malis, ac summa, non modo corporis, sed & & mentis, partis nostrum praestantissimae, pernicie coniunctum esse, vere intellexerit.

## §. CCLXVIII.

Eorum status re-pugnat voluntati Dei. Quum enim primo Deus nos non brutis fecerit similes, sed recta ratione instruxerit, volueritque adeo, vt non cupiditatibus, sed rationi & voluntati suae, obsequeremur: (§. CCLIII.) quid miserius, quaeso, quam eam viuere vitam, quae Deo displiceat, Deo inquam, omnipraesenti, (§. CLXXXIV.) omniscio, (§. CLXXXV.) & tam iusto, \* (§. CLXXXVI.) vt non possit non poenis grauissimis adficere omnes, qui eius voluntati obluantur? Quid periculosius, quam Dei voluntati denegare obsequium, cui & existentiam & conseruationem nostram vnice debemus? Quid denique intolerabilius, quam intra se audire conscientiam laesae maiestatis diuinæ crimen dies noctesque exprobrantem?

\* Agnouerunt & pagani philosophi, incumbere nobis necessitatem pie viuendi, quia degamus sub oculis Dei, omnia videntis, & vindicantis seueri. Interrogatus sane Thales Milesius, εἰ λήτοι θεὸν ἀνθρώπος ἀδικῶν; an lateat Deum homo iniuste agens? respondit: ἀλλ' εὐδὲ διανοούμενος, immo ne cogitans quidem. Et nihil verius illo Demosthenis enthymemate: Ἄδι σύμφερδὸν ἐς ἐκείναι τῶν κρατούντων. Τοῦ Θεοῦ τοίνυν ἀκωρεῶν, τοῦ ἀεὶ κρατούντος. Semper expedit iis obedire, qui rerum potiuntur. Deo igitur parendum, qui in aeternum dominatur.

## §. CCLXIX.

## §. CCLXIX.

Deinde quid solidi habet vita eorum, qui adhuc <sup>Nec sol-</sup> vitis immerfi suis cupiditatibus indulgent? <sup>di quid-</sup> VOLTAS brevis est delectatio, fertur in res va- <sup>quam ha-</sup> nissimas, nec amore nostro dignas, & mox eua- <sup>bet, quod</sup> nescientes. Et quanto quaeso voluptuosis constat <sup>ostendi-</sup> brevis illa, quam anhelant, delectatio? Quanta <sup>tur devo-</sup> molestia sibi homo viam ad illam sternit? Quanto <sup>luptate.</sup> cum taedio eam exercet? quanto cum dolore amittit?

## §. CCLXX.

Quid HONOR, nisi aliorum de nostris actio- <sup>De ho-</sup> nibus opinio? quid vero opinione leuius? Quam <sup>nore.</sup> paruum est hoc terrae punctum? quantula pars hominum in eo viuentium nos nouit? Horum ipsorum quam pauci sunt, qui sapientes sint, & res suo pretio aestimare norint? Quam mox denique futurum est, vt opinio illa, quam de nobis conceperunt, cum ipsis hominibus expiret? Attentius porro, quaeso, considera, quanto labore honores parentur, quam difficile conferuntur, quam facile & quanto cum dolore amittantur: nonne tibi exclamandum videbitur:

*O vanas hominum curas! o pectora caeca?*

## §. CCLXXI.

Quid DIVITIAE? Quid? nisi possessio terrae, la- <sup>De diui-</sup> pillorum, massarum, splendore aliquo praeditarum, <sup>tiis.</sup> quibus hominum cupiditas pretium statuit? An qui harum rerum plus aliis possidet, ideo reliquis beatior est? an tranquillior? an non aequae suauiter viuit, cui necessaria suppetunt, quam qui abundat superfluis? an non ille aequiore animo morietur, quam diues, cui opes pro numine sunt? Quanto porro labore parantur illa malorum irritamenta? quot curas, & insomnes noctes aduehit eorum possessio? ad quam desperationem amissio & iactura illorum hominem adigit? O vtinam meditari incipere-

ciperemus, quid diligamus, \* & quam anima immortali indignum sit, inhaerere rebus perituris, & cum vera felicitate nullo modo coniundis!

\* Eleganter Epictet. *Enchirid. Cap. VI.* In unoquoque inquit, eorum, quae aut delectant, aut utilitatem praebent, aut diliguntur, memento considerare, quale id quidque sit, incipiens a minimis. Si ollam diligis, dic: ollam diligo. Sic, ea fracta, non perturbaberis. Si filium tuum amas, aut uxorem, dic: te hominem diligere: mortuo enim eo, non perturbaberis.

§. CCLXXII.

Porro  
vitia  
multa  
mala  
adue-  
hant.

Quot mala secum vehant vitia, iam supra ostendimus pluribus. (§. XCVIII. *seqq.*) Et quid denique fiet de homine, qui de mente emendanda nunquam cogitavit, ubi iam vita excedendum, ubi imminet aeternitas, & mens indestruibilis atque immortalis ea omnia, quae bona credidit, post tergum relinquit? Nonne conscientia ipsa convincet eiusmodi hominem, nullam ipsi spem esse melioris status, summumque periculum supplicii, quum Deus iustus non possit non in hominem, voluntati suae per omnem vitam aduersatum, aut in hac vita, aut post mortem, animaduertere, & diuina tamen providentia permittere soleat, ut in hac vita bona malis, mala bonis plerumque eueniant. \*

\* Itaque omnino summum momentum inest rationationi: Quia Deus iustus est, malos aut in vita hac punit, aut post mortem. Non autem id semper facit in hac vita, quia bonis saepe mala, mala bonis eueniunt. Erit itaque, quando post mortem malos puniet. Ita ipse ratiocinatur Salomon *Kohel. III. 16. seq.*

§. CCLXXIII.

Emenda-  
tionem  
suadet

Ita sincerum illud animum emendandi propositum excitabimus, considerata *status* nostri *miseria*. Tanto magis autem illud firmabimus, si **CONDITIONEM**

NEM eorum, qui summo bono potiti sunt, paullo diligentius expendimus. (§. CCLXVI.)

II. conditio felix virtute praedictorum. Quae demonstratur.

§. CCLXXIV.

Solidam esse hanc felicitatem, nemo dubitauerit, quia sempiterna est illius possessio. (§. CXCIII.) Maximam eandem esse, cum ex attributis summi boni, (§. CLXXXIX. *seqq.*) tum ex effectibus eius, (§. CCV. *seqq.*) satis patet. Quis vero leue quid putet, Deo frui, mentem circumferre tranquillam, nullisque adfectibus, curis, conscientiae tumultibus, perturbatam; \* virtutem sine taedio sectari? aliis denique virtute ornatís amicis vti? Atqui haec omnia habet, quisquis summo illo ac perfectissimo bono potitus est.

\* Atqui & virtute praeditus calamitatibus premitur, & bonis etiam mala haut raro eueniunt. (§. CCLXXII.) Ita est. Sed quam parum haec omnia adquietantiam eius in voluntate diuina, adeoque & animi tranquillitatem, turbent, vel inde patet, quod, si optio daretur, illam conditionem suam cum celeratorum voluptatibus non permutaret. Ita aequiore animo Iosephus captiuitatem & seruitutem, quam oblatam a Potipharis vxore voluptatem, tulit. *Gen. XXXIX, 3.*

§. CCLXXV.

Hoc est, quod vel maxime id propositum in te III. Voc excitasset iam pridem, si mens non laeua fuisset. Iuntas iam adde, *Deum hoc a te exigere*, a quo totus pendes, Deum hoc praecipere, qui, cum alia grauiora praecipere posset, id praecipiat, quod tibi vtilissimum, quin omnino necessarium sit. \* An tu non audies Deum, vtilia licet praecipientem? Quid furem esse dicamus, si hic furor non est?

\* Quis, vero non paret medico, salutaria praecipienti? Talia autem sunt, quae praecipit Deus, quando te ad veram felicitatem vocat. Hinc pietatem non modo tanquam *honestam*, sed & tanquam *vtilissimam*.

*nam commendat Apostolus. Hinc Marc. Antonin. Lib. VII. §. LXXXIV. Ὁφέλεια πράξις κατὰ φύσιν. Emolumentum est actio omnis, naturae consentanea.*

## §. CCLXXVI.

**Propositi-  
tum hoc  
quam  
primum  
capien-  
dum.** At quum adfectus & propensiones frequenter repetitae in mores; hi autem diuturna consuetudine in alteram naturam transeant: (§. LXIX.) certo tecum statuas velim, properandum tibi esse, istudque propositum quam primum concipiendum. Quo longius enim illud differes, eo difficiliorem tibi hanc emendationem futuram, certissimum est. \*

\* Idem ergo contingit iis, qui moras in emendando animo neſtunt, quod solet aegrotantibus, curam valetudinis eousque differentibus, dum iam paene conclamatum est. Morbus inueteratus difficilius curatur, quin saepe medicorum industriam eludit. Quo citius rem adgredimur, eo facilius eam concipiemus. Huc pertinet elegans iudicium Senecae *Epist. XXV.* de duobus amicis, iuvene altero, altero fene, quod legi omnino meretur.

## §. CCLXXVII.

**Et con-  
stanter  
retinen-  
dum.** Quin non solum capiendum est hoc consilium, sed & constanti animo retinendum. Quemadmodum enim aduerso flumine nauigantes, cessante remigum industria, non modo non progrediuntur, sed & retro feruntur: ita qui hoc emendationis propositum, semel conceptum, abiiciunt, non modo non proficiunt, sed & tanto magis in pristinae miseriae vortices abripiuntur. \*

\* Quum enim voluntas numquam sit otiosa, sed semper bonum adpetat: (§. XXIX.) consequens est, vt quando propositum, ad bonum verum connitendi abiecit, in bona adparentia feratur, tantoque magis haec concupiscat, quanto minus aliquo veri bonifensu tangitur. Addatur Senec. *Epist. IV.*

## §. CCLXXVIII.

## §. CCLXXVIII.

Ad firmandum vero id propositum praeter preces Quo factum ad Deum, \* quippe ad ineundam nobiscum unio- ciant nem promptissimum, (§. CLXXXIX.) quam plu- preces & rimum conferet examen sui ipsius quotidianum, \*\* examen ex quo, an proficiamus, & in quantum hoc pro- sui quoti- positum nostrum vel auctum vel imminutum fit, dianum. facile adparebit.

\* Hinc Socrates virtutem doceri negabat, eamque contendebat Dei donum esse. Existat eam in rem singularis Aeschini *Dialogus περί ἀρετῆς*, seu de virtute, in quo p. 29. suo more demonstrat, ἔτε δὲ δακτὸν εἶναι ἔτε Φίσει ἀρετὴν, ἀλλὰ θεῶν μοίρᾳ παρὰ γίγνεσθαι κτωμένως, neque doceri posse, neque natura, sed divinitus accedere virtutem iis, qui eam possident. Addatur maximi Tyrii *Diss. XX.* quae inscribitur: εἰ γένοιτό τις θεῶν μοίρᾳ ἀγαθὸς ἀν aliquis divinitus bonus fiat?

\*\* Tale est illud examen, quod suis commendavit Pythagoras in *Aur. Carm. v. 40.*

Μὴ δ' ἴστων μαλακοῖσιν ἐπ' ἡμεῖσι προσδιξῆσθαι  
 Πρὶν τῶν ἡμερῶν ἔργων τρεῖς ἑκάστον ἐπιθεῖν.  
 Πῆ παρὶθεν; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δῖον ἐκ Ἰταλίδῃ,  
 Ἀ βλάμεισθ' ἀπὸ πρώτου ἐπέβη. καὶ μετῴμωτα  
 Διὶ μὲν ἐκπρήξας ἐκπλήσσω. χρηστὰ δὲ τίρω,  
 Ταῦτα πόνος, ταῦτ' ἐμμελέτα. τῶτων χρὴ ἔργον σέ.  
 Ταῦτα σὲ τίς θεῶν ἀρετῆς ἕξ ἔχου θέου.

Mollia nec prius admittant tibi lumina somnum,  
 Exactas quam ter repulaveris acta dies.  
 Qua praetergressus? quae male omisi?  
 Singula percurrans a primo facta, quibus tu  
 Vel praeis doleas, capias vel gaudia iustis,  
 Haec facito: haec satage: istorum tibi cura geratur;  
 Haec te virtutis divinae ad limina fistent.

Ad quam Pythagorae periocham addenda sunt, quae praecclare commentatur Hierocli. in *Comment. p. m. 105. Edit. Curterii.*

Q

§. CCLXIX.

§. CCLXXIX.

**Nec non consuetudo cum bonis.** Nec minus hoc propositum firmabit consuetudo cum hominibus, virtute praeditis, \* & contemplatio exemplorum tum eorum, qui, dum vitiis indulgent, pereunt, tum eorum, qui vera illa felicitate potiti sunt. Quemadmodum enim felices sunt, quos faciunt aliena pericula cautos: ita virorum sapientum vita perpetua censura, & non modo, quid agendum sit, sed & fieri posse, quae docentur, docet.

\* Commendat hoc praeceptum Seneca *Epist. VI. & XI.* quae totae periegi merentur, & Arrian. *Diff. Epist. Lib. II. Cap. XVIII.*

§. CCLXXX.

**Ac bonorum librorum lectio.** Denique & bonorum librorum, maxime paraeneticorum, lectio insignem tibi hac in re adferet utilitatem. \* Quum enim ethica paraenetica voluntatem magis incendat, quam instruat intellectum, (§. IV. \*) & propositum hoc in voluntate consistat: fieri sane non potest, quin eorum librorum assidua lectio tibi calcar subiectura sit in via virtutis perrecturo.

\* Ex quo vi oppositorum fuit, tanto magis fugiendos esse libros prauos, vitiaque illa capitalia irritantes, quales & pleraeque sunt fabulae Romanenses, quas vocant, & eiusdem furfuris alii, qui vitia veluti coloribus amoenis illustrata imaginationi sistunt. Quid enim aliud aegrotanti animo haec legenti accidet, quam quod Chaeraeae, adolescenti, tabulam pictam, quae Iovem imbrem aureum in Danae gremium mittentem sistingebat, spectanti accidisse, refert Terent. in *Ennuch. Act. III. Scen. V. v. 36. seq.*

§. CCLXXXI.

**Propositum hoc efficax** Postremo id quam maxime cauebis, ne *inefficax* fit hoc propositum. Quid enim proderit etiam summa cupiditas, summam felicitatem consequendi, nisi

DE PVGNA, IN QVAM SAP. STVDIOSI DESCEND. 143

nisi & mediis vti statuas, quibus ad eam conse- esse o?  
quendam opus est? Itaque simul ac propositum portet  
hoc aliquid virium in te adquisiuisse senseris: statim  
tes ipsa adgredienda, bellumque pulcherrimum indi-  
cendum est vitiis.

S E C T. III.

DE PVGNA, IN QVAM SAPIENTIAE AC  
VIRTVTIS STVDIOSO DESCEN-  
DENDVM.

§. CCLXXXII.

**N**imirum quamuis intellectus verae felicitatis Est in  
praestantiam virtutisque pulcritudinem accu- nobis,  
rate perspiciat, & voluntas quoque, bonum natu- quod  
ta adpetens, felicitatem illam mirifice concupiscat: huic pro-  
animaduertes tamen in animo nescio quid, quod posito  
has rationes turbat, quod mentem in contraria aut repu-  
gnat.  
Medea:

*Video meliora, proboque,  
Deteriora sequor.*

§. CCLXXXIII.

Qui Aristotelis placita exosculantur, eum in men- Qualis il-  
te tumultum vocant pugnam rationis & adpetitus la pugna  
sensitini. Sed si in te ipsum descenderis: non men- interna?  
tis facultates inter se contendere, sed voluntatem  
inter bona vera & adparentia, quorum illa ratio;  
haec imaginatio, tanquam iucundissima, reprae-  
sentat, fluctuare, atque hinc modo in hanc, modo  
in illam partem rapi, facile animaduertes.

§. CCLXXXIV.

Quum vero voluntas, nisi, virtute vindice, ex ista Pugnan-  
seruitute elucetetur, magis imaginationi ac prauis dum est  
adfectibus, quam rectae rationi seruiat: (§.XXIX) cum cu-  
ini arenam profecto descendendum, & tamdiu cum peditati-  
bus.



hoste illo interno pugnandum ac colluctandum est, \* donec oppressam ab eo voluntatem in libertatem adfertam videas.

\* De hac pugna Arrian. *Diff. Epist. Lib. II. Cap. XVIII.* Οὗτός ἐστιν ὁ ταῖς ἀληθείαις ἀσκητῆς, ὁ πρὸς τὰς τοιαύτας φαντασίας γυμνάζων ἑαυτόν. μείνον τάλως, μὴ συναρπασθῆς. μέγας δ' ἀγὼν ἐστὶ, θεῖον τὸ ἔργον, ὑπὲρ βασιλείας, ὑπὲρ ἐλευθερίας ὑπὲρ ἐυροίας, ὑπὲρ ἀταραξίας. Τοῦ θεοῦ μέμνησο. ἐκείνον ἐπικαλοῦ βοήθην καὶ παραστάτην, ὡς τὸς Διοσκῦρος ἐν χειμῶνι διπλέοντας. *Is est vere studiosus, qui se contra tales phantasias exercet. Consiste miser, ne auferat te imaginatio. Magnum certamen est, divini operis functio, de regno certatur, de libertate, de felicitate, de tranquillitate animi. Memineris Dei, illum inuoca auxiliatorem, ut solent nautae, in tempestatibus inuocare Castorem Pollucem.*

## §. CCLXXXV.

Cum  
imagina-  
tionc.

Quoties itaque IMAGINATIO nobis prauit quid, tamquam vel iucundum, vel honestum, vel utile, proponit: toties ante omnia id agendum est, 1) vt veras rerum ideas menti nostrae reuocemus in memoriam, illaque, quae supra devitiorum vanitate ac effectu, nec non de conditione vitiosorum aequae ac virtute praedictorum hominum, diximus, (§. CCLXVII. *seqq.*) subinde meditemur. 2) Vt menti non permittamus, iis indulgere cogitationibus, sed eam ab his ad res serias ac utiles diuertamus. 3) Vt otium inprimis cane peius & angue fugiamus. \* *Otia si tollas, periere cupidinis arcus.*

\* Recte veteres, τῷ ἔργεῖν καὶ τῷ σχολάζειν ἔπειθαι ἐκλήθησαν πολυπραγματεῖν, *desidium ex otium comitari aliena agendi studium.* Qui nihil agit, male agit. Quum enim mens nunquam otiosa sit: sane, si rebus feriis non vacat, ad cogitationes de rebus nihili ruit, & idearum de vitiis suauitate sese misere oblectat.

## §. CCLXXXVI.

## §. CCLXXXVI.

Eadem pugna, quoties in te vehementior AD-  
 FECTVS sese exserit, repetenda est Et quidem, <sup>Cura ad-</sup>  
 quum adfectuum quidam gradus sint, & principiis <sup>fectibus</sup>  
 resistatur facilius: (§. XXXIII.) rectissime agemus, <sup>nascenti-</sup>  
 si antequam mens eo adfectu delectari coeperit, vel <sup>bus.</sup>  
 saltim. priusquam res ad impetum redierit, eum  
 superare conemur.

## §. CCLXXXVII,

Si iam vires adfectus adquisiuit: memineris, 1) Et iam  
 moram aliquam interponendam, eamque. 2) vim vires ad-  
 inferendam esse sibi ipsi, vt ne inter illos mentis <sup>quirenti-</sup>  
 tumultus actionem aliquam suscipias. 3) Remit- <sup>bus.</sup>  
 tente primo aestu, cogitandum esse de causa, quae  
 nos inflammavit, & an ea tanta mentis inque di-  
 gna sit. \*

- \* Praeclara haec sunt adfectus in officio continen-  
 di media. Quum enim adfectus sint commotiones  
 extraordinariae: (§. XXXII.) non possunt sane ad-  
 modum diu saeuire, & hinc aliqua mora interpo-  
 sita deferuescunt Vidit hoc ille ex veteribus, qui  
 iratis suasisit, vt alphabetum Graecum aliquoties re-  
 citarent. §, XXXV. \*) Deinde, quum durante ad-  
 fectu nec intellectus, nec imaginatio satisfaciat  
 officio: (§. XXXV.) nihil recte sane faciet homo,  
 vehementiore adfectu intra praecordia saeuente. Er-  
 go suspendenda erit actio. Denique quum adfectus  
 ex repraesentatione boni vel mali oriantur: (§.  
 XXXII) fieri non potest, quin mens ad tranquilli-  
 tatem redeat, simul ac id, quod bonum malumue  
 visum est, vel tale non esse, vel leue admodum in-  
 dignumque tanta commotione censendum, perspe-  
 xerit. Eleganti id exemplo illustrat Epictet. *Enchir.*  
*Cap. XIV. Nunquam in re quapiam dicas: Perdidi,*  
*sed reddidi. Puer obiit, redditus est. Ager ereptus,*  
*nonne is quoque redditus? Sed malus est vir, qui abs-*  
*tulit. Quid ad te, per quem repetieris, qui dedit?*  
*Quousque autem tibi praebentur, velut alienorum*  
*curam habe, ut hospitii viatores.*

Q 3 §. CCLXXXVIII.

## §. CCLXXXVIII.

Item  
cum vi-  
tiis &  
propen-  
sionibus,

Simili mentis vigore adgrediendae sunt PRO-  
PENSIONES & VITIA; quae mentem in trans-  
uersum rapiunt. Vbi primo omnium obseruandum  
quod de Parthis olim dictum est: *eos fugiendo vin-  
cere*, id praecipue quoque locum habere in expu-  
gnandis vitiis. Compendii facies permultum laboris,  
si occasionem, qua irritari vitia possent, cane peius  
& angue fugeris. \*

\* Aurea illa Epicteti, cuius lubentissime testimonio uti-  
mur, *Enchirid. Cap. XXIV. Ἀνίκητος ἵνα δύνασαι,  
ἔδω ἐς μὴδὲνα ἀγῶνα καταβάνης, ὃν ἔκ ἐστίν ἐπί  
σοι νικῆσαι. Inuictus esse poteris, si in nullum cer-  
tamen descenderis, quod ut vincas, in te non est.*

## §. CCLXXXIX.

Quorum  
ocasio  
fugienda

Quum enim adfectus oriuntur ex boni malique  
repraesentatione: (§. XXXII.) iisque, si vires ad-  
quisiverint, difficilius resistitur, (§. XXVIII.) quin  
illi, vbi saepius repetuntur, in mores euadant: (§.  
XLIII.) consequens est, vt vel sola occasio pec-  
candi, dum tibi vitia tanquam grata atque iucunda  
repraesentat, te in vitia praecipitem dare, & in  
miserissimo isto statu retinere possit.

## §. CCXC.

Etiā iis,  
qui se  
fortes  
putant.

Nec prodest, quod serio consilium ceperis a  
vitiis abstinendi. Si enim semel occasionem pec-  
candi non fugeris: fieri poterit, vt propositum istud  
tibi extorqueant vitiorum illecebrae. \* Et quam  
imprudenter quaeso agunt, qui, freti alexipharma-  
corum virtute, domum, vbi pestis grassatur, sine  
urgente necessitate ingrediuntur?

\* Ostendere id voluerunt poëtae, fingentes, Vlysem,  
quamuis compositi animi virum, non ausum tamen  
Sirenarum cantum audire, priusquam malo se al-  
ligatum vidisset, sociisque navigationis aures cera  
obturari iussisset. Notum, quid de Alipio, amico,  
referat Augustinus. Ad Christum conuersus consi-  
lium

lium ceperat, nunquam ingrediendi theatrum. At saepe ab aequalibus inuitatus, demum ingredi statuit, sed clausis oculis ibi addidere. Praeflitit hoc aliquamdiu. Vociferante autem populo, oculos aperuit. Semel apertos claudere iterum vel noluit, vel non potuit: quin ita postea his spectaculis delectatus est, vt fere primus semper theatrum ingrederetur.

## §. CCXCI.

Vitanda ergo loca, vbi peccatis ex instituto indulgent homines. Vitanda prauorum consortia, loca seditiosa, vitanda turba. Nunquam mores, quos domo expecta & tulisti, referes. Aliquid ex eo, quod composuisti, confuturabitur, aliquid ex his, quae fugasti, recidit. Nemo non tibi aliquod vitium aut commendabit, lorum aut imprimet, aut nescienti allinet. Seneca *Epist. VII.*

## §. CCXCII.

Neque tamen fuga ista in eo ponenda, vt in e- Nec tamen secedamus, vt monasteria & phrontisteria men in circumspiciamus, vt semper latitemus, atque nos eremus abstinemus a rebus gerendis. Eremitae etiam & secedentia monasteria in mundo sunt. Praeclarius virtutis dum. Specimen est, vitare occasiones, vbi suppetunt: quam eas in eremo expetere, non inuenire.

## §. CCXCIII.

Si ita eueniat, vt occasio vitari non possit, vel Quid si si vitium, etiam non data occasione, nobis adblan- occasio diatur: alia longe pugna opus est. Animo enim non pos- in memoriam reuocanda vitiorum vanitas, (§. fit cui- CCLXIX. seq.) incredibilis miseria, in quam per tari? ea praecipites demur, (§. CCLXXII.) Dei omnipraesentia, (§. CLXXXIV.) iustitiaeque exactissima, (§. CLXXXVI.) summi boni praestantia ac suauitas, (§. CCLXXIV.) mors denique, quae imminet, & nos hoc theatro exire iubebit. Haec meditatio quot argumentis retrahere possit mentem,

vitiorum illecebris sollicitatam, ex iis, quae supra dicta sunt, facile animaduertes. \*

\* Omnes igitur colligendae sunt vires, & mens his argumentis conuincenda. Fieri enim non potest, vt, propositis vitiis & virtutibus, homo has eligat, si vere conuictus sit, illa mala, has bonas esse, illa nihil solidi habere, has esse vere praeclaras, & amore dignissimas. Sero igitur hic cogitationibus indulgendum. Quo enim id feceris diutius, quo constantius, eo magis insidias vitiorum euitandas esse, tecum statues. Et hoc ostendere voluerunt poëtae fabula illa de Hercule, in bûiuo constituto.

§. CCXCIV.

Pugna Et quamuis initio paullo difficilior haec pugna haec sub- futura sit: non tamen est, quod despondeas an- inde re- mum. Si semel viceris: iterum congressus, tanto petita fa- facilius vinces. Et quo saevius repetieris pugnam, cilior. eo faciliorem semper victoriam esse, fateberis. \*

\* Quemadmodum enim diuturna consuetudine vires acquirunt vitia, ac veluti in alteram naturam euan- dunt: (§. LXIX.) ita & sensim infirmiora fient, se- mel iterumque debellata. Hostis semel iterumque deuictus facilius longe proferitur, quam vbi viri- bus integris tubnixum adgredimur.

§. CCXCV.

Et victo- bellandis vitiis aliquamdiu defatigauit, facile pensa- ria sua- bit insignis ac incredibilis laetitia, quae victoriam uissima. hanc consequitur, quam, vbi semel percepisti, tam suauem experieris, vt vel eius perfruendae causa ad certamen illud te accincturus sis tanto alacrius.

§. CCXCVI.

Pugnan- Non solum autem cum vitiis pugnandum, sed dum & cum REBUS omnibus, quae animum perturba- etiam re

re ac de statu suo deicere possent, veluti cum paupertate, ignominia, doloribus, ipsaque morte. Quae facile inuicto animo perferes, si victor ex superiore pugna excessisti. Quid enim intolerabile videbitur illi, quem conscientia consolatur, & quod ista omnia non poena, sed medicinae causa eueniant, conuincit? \*

cum rebus externis.

\* Quemadmodum, duo quum faciunt idem, non est idem: ita haec quando duo idem patiuntur, eandem inde capiunt molestiam. Intolerabile videtur scelerato, vel biduum condemnari ad operas publicas, vel ad triremes. Et tamen easdem operas alii, mercede conducti, sine magna molestia praestant permultos annos. Ipsum viuicomburium, quod reis terribile omnino est, tale visum non est martyribus. Multum itaque interest, ex merito hoc feras, an conscientia te absoluat.

§. CCXCVII.

Ad haec eo fortius ferenda magno tibi adiumento erit meditatio eorum omnium, quae cuiuslibet in via virtutis euenire possunt. Tela praeuisa minus nocent. Nec tam intolerabilia sapienti videbuntur, quaecumque ipsi accidunt, si non ex improviso e-

Quo faciunt praemeditatio rerum, quae euenire possunt.

- - - Non ulla laborum,  
O mea mens, noua mi facies inopinane surgit.

Omnia praecepi, atque animo mecum ante peregi.  
Virgil. Aen. VI, v. 140.

\* Pertinent huc praeclarae Epicteti similitudines in *Enchirid. Cap. XXXIV.* ab eo, qui Olympia vincere cupit, & *Cap. VII.* ab eo, qui balneum ingreditur, desumptae. Audiemus posteriorem: *Ὅταν ἄψαρχίτινος ἔργου μέλλης ὑπόμνησον σεαυτὸν, ὁποῖόν ἐστι τὸ ἔργον. εἰν λουσόμενος ἄπις, πρόβαλε σεαυτῷ τὰ γινόμενα ἐν βαλάνειῳ, τῆς ἀπείρουτας, τῶς ἑ-*

ΠΡΟΕΛΕΜ. PHILOS. MOR. P. II. CAP. IV. SECT. III.

κρηόμενους, τοὺς λαιδοροῦντας, τοὺς κλέπτοντας, καὶ ἕτως ἀσφαλτέστερον ἂν τῷ ἔργῳ. κ. τ. λ. *Quum rem quamquam adgressurus es, redige tibi in memoriam, qualisnam ea res sit. Si locum abis, praepone tibi, quaecumque in balneo sunt irrorantes, inquietos, conuiciantes, furantes: atque ita iusius rem adgradiere. &c.*

§. CCXCVIII.

**Remedia** Deinde, vbi tibi ineunda fuerit haec palaestra, fortunae eorum praecipue memento, quae supra de his ca-  
**aduerae.** lamitatibus, etiam viris bonis obuientibus, & reme-  
dio illis opponendo, diximus. \* (§. CCXII. *seqq.*)

\* Ea ex instituto pertractare conatus est Seuerinus Boëth. in libello *de consolatione ex philosophia*, qui saepe editus, & in varias linguas translatus est. Merito autem mireris Gothofredum Arnoldum in *Hist. Eccl. & Haeret.* existimare Boëthium vere Christianum non fuisse, quia in summa calamitate ad philosophiam, tanquam ad sacram ancoram confugerit. Quasi ideo scripturam neglexerit, aut is non sit Christianus, qui & rectam rationem in consilium adhibet.

§. CCXCIX.

**Media** Sed quamuis praeclara haec omnia praecepta sint  
**hactenus** de medijs ad veram felicitatem perueniendi, eaque  
**com-** nec reuelatio reiiciat: facile tamen animaduertet,  
**mendata** quicumque ea paullo accuratius considerabit: illa  
**non suffi-** non sufficere homini, qui ad veram felicitatem ad-  
**ciunt.** spirat. \*

\* Quidquid in contrarium nitantur *Naturalistas*, de quibus ex instituto Tribbechouius in libello *de Naturalismo*.

§. CCC.

**Defitui-** Quum enim vitium homini natura inest, (§. LXXI)  
Deus-

DE PVGNA, IN QVAM SAP. STUDIOSI DESCEND. 251

Deusque, tanquam ens iustissimum, (§. CLXXXVI) mur non possit non ab iis abhorrere: facile patet, non enim me- sperandum esse, Deum coniuncturum se cum ho- dio expi- minibus, a quibus antea peccatis innumeris offen- andi pec- sus fuit, nisi iustitiae eius omnino satisfiat. \* At cata. eiusmodi medium, expiandi peccata, Deoque sa- tisfaciendi, ratio omnino ignorat.

- \* Socini affectae, alique, satisfactione hac Deo opus esse plane negant, creduntque, non minus licere Deo, quam regibus, sine hac gratiam delictorum facere. Verum, quum nihil possit Deus, nisi quod vult: (§. CLXXXV. \*) non quaeritur, quid Deo liceat? sed, quid illius iustitiae consentaneum sit? Iustitiae autem infinitae est, satisfactionem exigere ab iis, qui illam laeserunt, & talem quidem, quae digna sit infinita iustitia. Vid. Ruard Andala *Theol. Natural. Part. II. Cap. XII. §. 13. seqq.*

§. CCCI.

Deinde quamvis omnino recte se habeant praes- Desitui- cepta moralia de proposito emendandae mentis mur viri- capiendo, de impugnandis pravis adfectibus ac vi- bus ad- tiis, & similia: quum tamen temper homini eue- obse- niat, quod illi Medae: *Video meliora, proboque,* quum *Deteriora sequor:* consequens est, ut opus nobis sit Deo multo *maioribus viribus,* si bellum hoc cum spe vi- praestan- dum ne- ctoriae suscipere velimus. \* At *vires has* vnde pe- cessariis. tere nos oporteat, ratio ignorat.

- \* Quid claudio proderunt consilia, ut eat, ambulet, immo & fatui & cursui paullatim adsuefiat, nisi ipsi medicus, id suadens, simul vires largiatur, id efficiendi?

§. CCCII.

Quare aut Deus noluit vnquam, hominem ad Deum et- summam felicitatem peruenire, aut aliud lumen go hunc esse oportet, quo praelucente quomodo Deo satis- defectum fieri, & vnde vires illae hauriri possint, videamus. supplese Quum oportet.



Quumque prius verum non esse, ostenderimus: (§. CLXXXIX.) oportet sane lumen aliquod esse, & semper fuisse, cuius ope discamus, quo pacto Deo satisfieri, viresque sufficientes adquiri possint.

§. CCCIII.

Et hinc  
dedisse  
revela-  
tionem.

Tale lumen extra rationem nullum esse potest, praeter REVELATIONEM diuinam \* Existare itaque oportet REVELATIONEM aliquam, a Deo profectam, quae illa, ad quae ratio caecutit, nobis ostendat, defectumque illum suppleat.

\* Ea conclusio eo minus miranda, quo magis constat, ipsos paganos philosophos aliquando ita ratiocinatos. Socrates sane apud Platonem in *Phaedone* p. 604. *Tom. II. Opp.* diu multumque de mentis immortalitate, eiusque conditione post mortem, sermocinatus, tandem, hac in re caecutire rationem, agnoscit. Ex eo infert, alterutrum horum fieri debere ab homine sapiente. *Aut eum discere debere ac inuenire, quemadmodum illa se habeant; aut, si hoc fieri nequeat, optimam ac tutissimam humanarum rationum eligere, qua, tanquam raro uobis, procellas huius vitae pertranseat.* Et hanc posteriorem viam omnino ingrediendam esse censet, *εἰ μὴ τις δύναιτο ἀσφαλές τερον ἢ ἀκινδυνότερον ἐπιβεβαιότερον ὀχήματος, ἢ ΛΟΓΟΤ ΘΕΙΟΤ ΤΙΝΟΣ, διαπορευθῆναι, nisi liceat forte istas vitae procellas firmiore quodam vehiculo, vel DIVINO QUODAM VERBO; tutius ac minore cum periculo transare.* Verba aurea, & considerata dignissima!

§. CCCIV.

Ex tot  
revela-  
tionibus,  
vna vera  
est.

Agnouere omnes religiones reuelationis cuiusdam necessitatem. Quis enim Iudaeorum *traditionem oralem*, quis Mahumedanorum *Alcoranum*, quis ipsorum gentillum *oracula*, quis denique a Christianis, & ex parte a Iudaeis, receptam *scripturam sacram* ignorat? At quum hae reuelationes sibi in multis contradicant, & contradictoriae simul verae esse nequeant: (Log. §. LXXII.) consequens est,

DE PVGNA, IN QVAM SAP. STVDIOSI DESCEND. 253

est, vt vnica ex his vera ac diuina, eaque summo studio inuestiganda sit. †

† Vel ex hoc ergo adparet absurditas religionis Mahumedanae, ex principiis quippe Iudaismi, Christianismi & Islamismi, id est, ex contradictoriis meris conflatae.

§. CCCV.

Neque *in tōi aduātōi* oportet esse hanc indagatiōem. Ergo sunt nem. Quum enim reuelatiō absolute sit necessaria: certi characteres (§. CCCI.) voluit procul dubio Deus, vt omnibus mortalibus innotesceret. Innotescere autem non verae reuelatiōis, nisi certi in promptu essent characteres, qui reuelatiōis ab aliis reuelationibus discerneretur, & qui non alibi, quam in ipsa illa reuelatiōe, quaerendi. \*

\* Reuelatio enim, quam quaerimus, est lumen, quod nobis ad veram felicitatem praelucet. (§. CCCI.) Quemadmodum vero lumen verum ab igne fatuo non aliter, quam vtriusque considerata & inter se comparata natura, discernimus, neque hic res redit ad testimonia hominum, (quamuis haec nobis fortassis occasionem, rem accuratius considerandi, suppeditare possint:) ita reuelatio aliter cognosci nequit, quam si contemplerur eius indolem, eamque contendamus cum reuelationibus aliis. Ceterum, quum nobis res sit cum hominibus, de veritate reuelationis conuincendis: per se patet, huc non pertinere testimonium illud Spiritus S. internum, quod eos, qui iam voluntatem Dei faciunt, conuincit. 1. *Ioan. V, 6.*

§. CCCVI.

Quum nimirum finis huius reuelationis sit, vt id, Eorum in quo caecutit ratio, nobis ostendat: (§. CCCIII.) primus, facile patet, 1) nihil diuini prae se ferre reuelationem, quae tota id vnice inculcat, quod iam tum recta ratio agnoscit.

§. CCCVII:

§. CCCVII.

Secundus.

Quumque praecipua capita, in quibus deficit ratio, sint satisfactio, diuinæ iustitiæ præstanda, & adquisitio virium, quibus opus est ad voluntatem Dei perficiendam: (§. CCXCIX. *Jequ*) consequens est, 2) vt diuina reuelatio & medium sufficiens; \* infinitæ iustitiæ Dei satisfaciendi, & vires illas nouas acquirendi, ostendere debeat.

\* Non autem sufficere *ἀσκήσεις* & afflictiones corporis, non ieiunia, non sacrificia & lanienas animalium, ipsa ratio facile agnoscit. Quin postremas absurdas esse, nisi ratio quaedam sanctior accedat, veluti typica, iam pridem ab aliis est demonstratum.

§. CCCVIII.

Tertius.

Quia porro diuinam hanc reuelationem esse oportet: (§. CCCII.) per se patet, 3) nihil in ea occurrere debere, quam quod verum, sanctum, Deoque dignum sit. \*

\* Indigna autem Deo essent *distio* vel ludicra, vel ambigua, vel plus artis & vanitatis, quam simplicitatis & grauitatis, prae se ferens, *historiae* falsæ & absurdæ, *miracula* fabulosa ac minus necessaria, *prophetiæ* euentu haut comprobatae, *doctrinae morales*, rectæ rationis principiis repugnantes, vel societati humanæ noxiæ, *cultus* & *ritus* inanes, veracque pietatis & amoris diuini indoli aduersi; *contradictiones* denique manifestæ, & nullo modo conciliabiles.

§. CCCIX.

Quartus & quintus.

Quumque iam inde ab ipsa humani generis origine homines illa reuelatione indigerint: (§. CCCI) consequens est, 4) vt reuelatio vera ac diuina debeat esse antiquissima, quin ipsi humano generi coæua, adeoque & 5) ita conferuata, vt nec temporis,

DE PYGNA, IN QVAM SĀP. STVDIOSI DESCEND. 255  
ris, nec hominum iniuriis, quidquam ceperit detri-  
menti.

§. CCCX.

Quibus positis, certissimum est, ORACVLA Ergo di-  
quibus gentiles delusi sunt, diuinæ reuelationis no- uina non  
men haut mereri, quia 1) quod rationi deest, non sunt ora-  
suppleuerunt, & 2) nullum commendarunt Deum cula pa-  
propitiandi medium, quod non sit absurdissimum, gano-  
veluti ludos, certamina, quin immolationes homi- rum.  
num ipsis gentilibus abominandas. Praeterea 3)  
nihil fere sine ambiguitate protulerunt; nihil san-  
ctum, nihil pium, vel quod sacerdotum fraudes non  
manifesto prodiderit: denique non modo 4) eorum  
origines, sed & 5) finem scimus omnes. \*

\* Oracula pro meris imposturis habent Ant. van Dale  
*de Oraculorum origine & auctoritate*, & Fontenellius  
in *Historia Oraculorum*. Daemonis operationibus  
illa tribuit P. Baltus dans la *reponse a l'histoire des*  
*oracles de Mr. Fontenelle*. Mediam sententiam non  
sine ratione ingreditur Auctor *des Remarques sur la*  
*demolé, qui est entre Mr. de Fontenelle & l'auteur de la*  
*reponse des oracles*, qui & daemonum partes ea in re  
fuisse statuit, & multas sacerdotum imposturas inter-  
cessisse fatetur. Conf. *Celeb. Budd. de Atheism. & super-*  
*stis. Cap. III. p. 287.* & Io. Cleric. dans *Bibliothe-*  
*que choisie Tom. III. Art. II. p. 180.*

§. CCCXI

Nec est, quod ALCORANI diuinitatem iactent Nec Al-  
Mahumedani. Quid enim 1) in illo reſtamratio- coranus,  
nem supplet, ac non potius destruit? Quodnam  
ille 2) aliud ostendit medium expiandi Deum, quam  
adſiſtiones corporis, ieiunia, lauacra, peregrina-  
tiones Meccanas? quem fontem monstrat suis ſe-  
ſtatoribus, vnde vires bene agendi hauriant?  
3) Quid in illo Deo dignum? Quam multa plagia?  
quam inſulſae fabulae? quam innumera futilia? De-  
nique 4) eius nouitatem ne ipsi quidem Mahume-  
dani negant, probe gnari, mille annos non mul-  
tum ſuperare volumen iſtud ſacerrimum. \*

\* Lü.

- \* Luculenter haec omnia demonstravit, qui totum Alcoranum cum notis & refutationibus suis edidit Ludou. Maraccius. *Patan.* 1698. fol.

## §. CCCXII.

Nec vo-  
lumen  
Talmu-  
dicum.

Quid in TALMVDE Iudaeorum occurrit, praeter iustitias & vere superstitiosas de ritibus & iure Iudaico quaestiones? An haec 1) id, in quo deficit ratio, supplet? 2) An medium propitiandi Deum ostendunt? an vires bene agendi sufficiunt? 3) Quam insulsa ibi fabulae intermixtae? 4) Quam novum porro istud opus, excisis iam pridem Hierosolymis natum? \* Nullum ergo characterem in his omnibus reperias verae ac divinae reuelationis.

- \* Omnia haec iustis operibus explicarunt viri doctissimi. At in compendio ea exhibet Pfeifferus in *Theologia Iudaica*. Si quid sani inest Mischnae, id vel inquinavit vel plane corruptit Gemara, seu glossa, quae ubique prodit magistrorum superstitionem; stupiditatem, & fingendi quaelibet libidinem:

## §. CCCXIII.

Scriptu-  
rae S.  
quadrat  
character  
primus.

At, quod alibi frustra quaeras, id diuino beneficio possidemus Christiani. SCRIPTURA enim SACRA 1) omnia, ad quae ratio caecutit, supplet abunde. Ostendit nobis creationem rerum omnium ex nihilo, generis humani originem, primaeuam hominis integritatem, & subsequenter lapsum. Eadem de essentia Dei & voluntate nos instruit accuratissime, & de resurrectione carnis, de futuro iudicio, & iustorum iniustorumque conditione post mortem, ea docet, quae recta ratio non agnoscit, vnusquisque tamen sublimia, sancta, ac praeclara esse, facile deprehendit.

## §. CCCXIV.

Secun-  
dus.

Eadem scriptura 2) ostendit Christum, qui Deo pro hominibus satisfact plenissime, & cui per fidem adhaerentes, gratiae Dei quam certissime fiant participes. Ostendit Spiritum S. qui haec Seruatoris

ris merita adplicet, imaginem diuinam in iis instaurer, & nouas vires sufficiat, vt regeniti & sanctificati, tanquam nouae creaturae, Dei voluntatem faciant, & magis magisque in bono proficiant.

§. CCCXV.

Porro in hac scriptura 3) nihil est, quod Deo Tertius, indignum sit, at omnia ita comparata, vt statim Deum auctorem prodant. Eloquutio vbique simplex, & tamen cum summa *ἰμφάνη* coniuncta: historiae series accuratior, quam vsquam, vaticinia de rebus maximis verissima, praecepta viuendi sanctissima, & argumentis fulcita tam insignibus, vt cor ipsum fodiant, & virtutem suam quoridie ostendant. \*

\* Eloquutionem, vtut simplicissimam, ipsi gentiles mirati sunt. Dionys. Longin. *de Sublim. Sect. LX. §. 18.* *Ταύτη καὶ ὁ τῶν Ἰουδαίων θεολόγος, ἕχῃ δὲ τυχῶν ἀνὴρ, ἐπειδὴ τὴν τοῦ θεοῦ δύναμιν κατὰ τὴν ἄξιαν ἐγνώρισεν, κἀξέθευεν, ἐνθὺς ἐν τῇ ἰσθμῷ γραφῆς τῶν νόμων. Εἶπεν ὁ θεός, Φωσὶ τί; γενέσθω φῶς, καὶ ἐγένετο, γενέσθω γῆ; καὶ ἐγένετο. Hac item mentis alitudine Iudaeorum legislator, vir minime contemnendus, dignam Deo potentiae eius capis imaginem, dignaque eloquutus est. Nam in ipso statim legum principio: Dixit Deus, inquit, Quid? Fiat lux, & facta est. Fiat terra & facta est. Oboriri legentibus possunt scrupuli chronologici, geographici, similes. Sed tales etiam in aliis historiis verissimis oboriantur. Quin eos non prohibere, quo minus scripturae diuinitatem in vniuersum agnoscamus, alio loco ostendimus (Log. §. CLVI.)*

§. CCCXVI.

Denique 4) antiquissima haec scriptura est. Prima reuelatio in paradiso facta, & per tot saecula sapientissime continuata, donec numeris suis absolutus esset canon. Eadem 5) inter tot tyrannorum

R

facta

laesa semper seruata est, nec quidquam eius corpori per tantam fatorum seriem decessit. \*

\* Citantur in scriptura quidam libri, veluti *Liber bel-  
lorum Domini*, *Epistola ad Laodicenos* & similes. Sed  
adducuntur etiam quaedam ex Arato & Epimenide,  
poëtis. Nec sequitur, vt in canone fuerint omnia,  
quae vel a scriptoribus sacris allegantur, vel a viris  
*θεοπνευστος* scripta sunt. Quis enim dubitet, quin  
Paulus praeter Epistolas illas diuinas multas alias  
priuatas scripserit? Quis dubitet, quin idem fecerint  
omnes apostoli & viri apostolici reliqui? Sed ita  
rem direxit diuina prouidentia, vt illae solae, quas  
hodie legimus, in canone conseruarentur, quippe  
quae fini ac intentioni Dei sufficerent.

§. CCCXVII.

Hinc ea  
sola est  
diuina  
reucia-  
tio.

Quum itaque characteres diuinae reuelationis o-  
mnes scripturae S. soli conueniant: ea sola quoque  
id nomen tuetur. \*

\* Incessimus per vestigia Vincentii Placcii, qui in *li-  
bello de praecipuo fructu philosophiae moralis*, & Io.  
Franc. Buddei, qui sub finem *Philosophiae moralis*  
eodem modo diuinitatem scripturae sacrae ex prin-  
cipiis moralibus demonstrarunt.

§. CCCXVIII.

Ac proin-  
de in  
consili-  
um ad-  
hibenda.

Hanc ergo si in consilium adhibuerit, qui ad sum-  
mam illam felicitatem adspirat: dubium non est,  
quin pulcherrimum hunc finem consequuturus sit  
feliciter. Et vtinam vel hunc fructum caperemus  
ex hac scripture nostra. Sic enim vere continge-  
ret, quod ex Clementis Alexandrini *Stromat. Lib.*  
*I. p. 282 supra (§. IX.)* adduximus, *προπαρασκευάζου  
τὴν φιλοσοφίαν, προδοκιῶσαι τὸν ὁδὸν Χριστοῦ τελειώμενον,*  
*praeparare philosophiam, datam ei viam mittit, quae  
a Christo perficiatur.*

ΠΑΝΤΑ ΚΑΛΩΣ ΕΣΤΑΙ.

INDEX

# I N D E X

## R E R V M P R Æ C I P V A R V M.

Lit. H. Historiam philosophicam, L. Logicam,  
M. Philosophiam moralem; Numerus para-  
graphum, & asteriscus \* Notas indicat.

- A:  
**A** Baelardus (Pet.) Scholasti-  
cus. H. 100  
Abſtinentia quid? M. 231  
Accidens quid? L. 34  
Actus elicti & imperati. M. 30  
Adfectatio quid? M. 237  
Adſociatio idearum quid?  
M. 22 \*  
Adulatio quid? M. 237  
Ægyptii Mathesi operam de-  
derunt. H. 20  
non fuerunt Magiſtri He-  
braeorum. *ibid.* 19  
eorum ſapientia ab Hebrai-  
ca plane diuerſa. *ibid.*  
quæ illorum fuerit philo-  
ſophia moralis? *ibid.*  
Æmulatio vnde oriatur? M. 42  
Affectus quid? M. 32  
horum gradus. *ibid.* 33  
monet mentem a malo  
abbonum. *ibid.* 34  
eorum cauſa. *ibid.* 35  
eorum effectus. *ibid.*  
in ſe mali non ſunt, nec  
extirpandi. *ibid.* 36  
eorum ſigna ſe facile  
produunt. *ibid.* 108  
Agilitas corporis quatenus bo-  
num? M. 156  
Alatius (Leo) maculas ſola-  
res cognitatas habuit. H. 106\*  
Albertus M. Philoſ. ſcholasti-  
cus. H. 100  
Alcorani diuinitas fruſtra a  
Mahumedanis aſſeritur.  
M. 311  
Althufius (Io-) fautor Monar-  
chomachiſmi. H. 120  
Amare Deum quid? M. 202  
Amicitia vera quid? M. 242. 243  
Ambitio quid? M. 75  
vnde oriatur? M. 40  
quotuplex? *ibid.*  
eius effectus. M. 76  
Ambitioſus quis & eius cha-  
racter. M. 76. uſque 80  
ſigna. M. 113  
Amor quid? M. 37  
eius ſigna. M. 109  
in eo, quo ferimur in  
Deum, conſiſtit vera  
felicitas. M. 198  
complacentiæ & con-  
cupiſcentiæ quid? M.  
199  
Controuerſiæ de hac di-  
ſtinctione. *ibid.*  
deuotionis, amicitiae &  
beneuolentiæ quid?  
M. 206  
obſer-



# I N D E X

- obedientiae vel devotio-  
nis M. 202
- Anaximander Milesius horo-  
scopiorum &c. inuentor.  
H. 47
- Antisthenes Cynicorum sectae  
auctor. H. 75
- Appetitus quid? M. 31
- Aquinas (Thomas) Scholasti-  
cus. H. 100
- Arabes suos habuerunt Ma-  
gos. H. 28
- multum nocuerunt Ari-  
stotelis doctrinis. H. 74
- Aristotelis philosophiam  
in suam linguam  
transulerunt. H. 99
- Archimedes specula caustica  
invenit. H. 106 \*
- Aristippus Cyrenaicam sectam  
condidit. H. 57
- eius successores. *ibid.*
- Aristoteles Platonis discipulus.  
H. 72
- eius schola quomodo di-  
cta? *ibid.*
- quos habuerit successo-  
res? *ibid.*
- huius doctrinae diu re-  
gnarunt in Christiano-  
rum Academiis. *ibid.*
- eius physica ridicula.  
H. 73
- Ethica mediocris. *ibid.*
- Logica accurata. *ibid.*
- nec Politica, ars poetica  
& Rhetorica sua lau-  
de defraudandae. *ibid.*
- Arithmetica primus docuit  
Pythagoras. H. 41
- Arnoldus (Gottfr.) male in-  
cusat Boethium. M. 298 \*
- Artes quatenus bonum?  
M. 156
- Afellius (Casp.) venas lacteas  
detexit. H. 106
- Audacia quid? M. 39
- Auctoritatis praedictum. vi-  
de *Praedictum*.
- Auaritia unde? M. 40
- quid? M. 87
- quotuplex? *ibid.*
- omnium absurdissima.  
M. 93
- Avarus quis & eius charac-  
ter? M. 88. usque 92
- Augustinus quo consilio scri-  
pserit libros de Ciuit. Dei.  
L. 107 \*
- Axiomata quid? L. 58. 173
- non indigent probatione.  
*ibid.* 59. 176
- B.
- Barbari nitebantur auctori-  
tate maiorum. H. 4
- quinam ita vocati a vete-  
ribus? H. 12
- barbarica philosophia. vid.  
*Philosophia*.
- eorum sapientia simplex  
& vulgaris. H. 13
- Bardi Germanorum Philoso-  
phi. H. 35
- Basilides Epicuri successor.  
H. 86
- Bekkerianismus. vid. *Cartesius*.
- Biel (Gabr.) scholasticus.  
H. 100
- Boeclerus (Io. Henr.) Politi-  
cam excoluit. H. 119
- Bonum quid? M. 142  
est

## RERVM PRAECIPVARVM.

- est vel physicum vel mo-  
rale. *ibid.*
- verum vel apprens. M. 143
- verum simul honestum  
iucundum & utile  
est. M. 206
- absolutum vel respecti-  
uum. M. 144
- actiuum vel passiuum.  
M. 145. 152
- priuatium vel positi-  
uum. M. 146
- ordinarium vel extraor-  
dinarium. M. 147
- corporis & animi. M. 148
- animi bonum prae-  
stantius bono corpo-  
ris. M. 150
- praestantissimum quod  
utrumque conseruat.  
*ibid.*
- priuatium positiuo  
praestantius. M. 151
- Summum quid? M. 162
- hoc appetimus omnes.  
M. 163
- ab omnibus potest obti-  
neri. *ibid.*
- voluntatem perficit.  
M. 165
- debet esse perpetuum.  
M. 167
- dissensus philosophorum  
de summo bono. M.  
169 usque 173
- non consistit in corpore.  
M. 195
- Borellus (Petr.) Microscopio-  
rum vsum demonstrauit.  
H. 106
- Boyle (Rob.) Antiam pneu-  
maticam inuenit.  
H. 106
- Brachmanes Indici Philosophi.  
H. 31
- hodie sub voce Brami-  
nen occurrunt. *ibid.*
- Brutus (Steph. Iun.) fautor  
Monarchomachismi.  
H. 120
- C.
- Abballistarum systema  
quid? H. 17
- Caesalpinus circulationem  
sanguinis perfectam habuit.  
H. 106
- Calamitatum causa. M. 261.  
263
- Campanellae (Thom.) vitam  
quis scripserit? H. 105.\*\*\*
- Cardanus (Hieron.) noui sy-  
stematis inuentor.  
H. 105
- Cartesius nouum systema edi-  
dit. H. 108
- eius vita. *ibid.*
- sectatores praecipui.  
H. 109
- Theologi se eius sectae  
acriter opposuerunt.  
*ibid.*
- eius principia Logices.  
H. 110
- quid de existentia Dei  
statuerit? H. 111
- eius de spiritu opinio.  
*ibid.*
- inde enatum systema oc-  
casionale & *Behavianis-*  
*mus.* *ibid.*
- eius principia physica.  
R. 3 H. 112

# I N D E X

- H. 112
- moralem philosophiam  
vix attingit. H. 113
- iugum feruitutis philo-  
sophicae excussit.  
H. 114
- Cassius satellites Saturni pri-  
mus obseruauit. H. 106
- Cleantes successor Zenonis.  
H. 79
- Chaldaei quid statuerint? H. 22  
eorum sapientiae origo.  
H. 21
- multa somniantur de a-  
strologia, artibus diui-  
naticibus &c. H. 23
- Cholericum temperamentum  
vid. *Temperamentum*.
- Cholericorum character. M.  
58. 64
- eorum signa physiogno-  
monica. M. 120
- Cholericis sanguinei quinam?  
M. 63
- Cholericis Melancholicis qui?  
*ibid.*
- Chrysippus successor Zenonis  
H. 79
- Circulus quid? vid. *Fallacia*.
- Cognitio sui ipsius difficilis est.  
M. 258
- non aequae corporis.  
M. 259
- modus quo progrediatur  
nostra cognitio? L. 9
- Color prodit affectus. M. 108
- Comenius (Io. Amos.) scri-  
pturam sacram philoso-  
phiae principiam statuit.  
H. 4\*
- Commiseratio quid? M. 41
- Conditionalis syllogismus, vid.
- Syllogismus*.
- Confucius Sincensium Philoso-  
phus. H. 34\*
- Congratulatio quid? M. 41
- Coniectura quid? L. 151
- Conringius (Herm.) politicam  
excoluit. H. 119
- Conscientia quid? M. 18  
est vel antecedens, vel  
consequens. M. 19  
vel recta, vel probabilis,  
dubia & scrupulosa.  
M. 20  
vel recta vel erronea.  
M. 21  
vel bona vel mala. *ibid.*
- Consectarium quid? L. 62. 174
- Consequentiae an imputan-  
dae? L. 119
- Consequentis fallacia, vid. *Fal-  
lacia*.
- Consuetudo cum hominibus  
virtuti deditis multum pro-  
dest. M. 279
- Continentia quid? M. 234
- Conuersio quid? L. 66
- Copulatiuus syllogismus, vid.  
*Syllogismus*.
- Corpus hominis pars essentia-  
lis. M. 11
- non est ergastulum  
mentis. M. 11. & *ibid.*\*
- non cogitat. M. 12
- eo utitur mens, tanquam  
instrumento. M. 44
- ab eo mens varie adfici-  
tur. *ibid.*
- constat fluidis & solidis  
partibus. M. 45
- Corollarium quid? L. 62. 174
- Cynici. 76
- horum sectae auctor. *ib.*  
cur

# RERVM PRAECIPVARVM.

curdicti Cynici? *ibid.* \*  
 excoluerunt solam philo-  
 sophiam moralem.  
 H. 77.  
 huius praecipua capita.  
*ibid.*  
 Cyreniaca secta. vid. *Aristip-  
 pus.*

## D.

**D**Ecorum quid? M. 235  
 est vel iuris naturae vel  
 politicum. *ibid.* 236  
 huius species vel virtutes  
 ex eo natae. *ibid.* 237  
 vitia opposita. *ibid.*  
**D**efinitio quid? L. 35-37  
 eius partes L. 37  
 nominalis quid? L. 38  
 realis quid? L. 39  
 non debet esse negatiua.  
 L. 40  
 debet recipiari cum  
 suo definito. *ibid.*  
 quomodo reperiatur?  
 L. 41. & 42. 170  
 experiundo inuenta est  
 fundamentum de-  
 monstrationis. L. 43  
 aliquando sufficiunt no-  
 minales L. 271  
**D**emocritus Chemiae peritus  
 fuit. H. 106. \*  
**D**emonstratio quid? L. 120  
 est vel à priori, vel a po-  
 steriore. L. 121  
 illa procedit a causa ad  
 effectum. *ibid.* 122  
 quid necessario verum?  
*ibid.* 123 \*  
 nexus propositionum

constare debet. *ibid.*  
 124  
 eo usque procedit, donec  
 peruenit ad princi-  
 pium. *ibid.* 125  
 a posteriore quomodo  
 demonstratur? *ibid.* 126  
 alia est directa alia indi-  
 recta. *ibid.* 127  
 indirecta quid? & eius re-  
 gulae. *ibid.* 127. 128  
**D**escriptio quid? L. 36  
**D**esiderium quid? M. 38  
**D**esperatio quid? M. 39  
**D**esperatus oculis furorem  
 indicat. M. 112  
**D**eus est bonum absolutum.  
 M. 187  
 summum. *ibid.* 181. 194  
 quod demonstratur. M. a  
 175. usque 181  
 est Ens simplex. *ib.* 182.  
 aeternum & inde-  
 pendens. *ib.* 184  
 infinitum incomprehen-  
 sibile &c. *ibid.*  
 sapientissimum intelli-  
 gens, praescium, om-  
 niscium, liberrime  
 volens, omnipotens.  
*ibid.* 185  
 iustum, verax. *ibid.* 186  
 ab omnibus potest ob-  
 tineri. *ibid.* 189  
 voluntatem potest perficere.  
*ibid.* 191  
 nihil eo praestantius. *ib.*  
 192  
 homini bonum praestanti-  
 tissimum. M. 188  
 coniungitur cum mente  
 nostra. *ib.* 195  
 R 4 hoc

# I N D E X

- hoc vinculum non consistit in veritatis cognitione. M. 196\*  
 sed in voluntate quaerendum. *ib.* 197
- Dialectica & Analytica non sunt distinctae disciplinae. L. 3\*
- Diffidentia quid? M. 39
- Dilemma quid? L. 91
- Dickinson (Edm.) Mosi suas proprias attribuit sententias. H. 14\*
- Diogenes Laërtius perperam negat, barbaros iam ante Graecos philosophiam excoluisse. H. 11\*
- Diogenes Philosophus scholae Zenonis. H. 79
- Disiunctivus syllogismus. *vid. Syllogismus.*
- Disputatio quid? L. 208. 209
- Disputantium officia. L. 211. usque 227
- Diuisio quid? L. 45  
 in ea etiam negatiuae definitiones ferendae. L. 46  
 eius membra exhauriant totum diuisum. L. 47  
 sint disiuncta. *ibid.*  
 idea diuidenda ab ambiguitate liberanda. *ib.*  
 differentia inter diuisionem & distinctionem. *ibid.*  
 subdivisiones non praetor necessitatem multiplicandae. L. 48
- Dissimulatio quid? M. 237
- Docentium officia. L. a 234. usque 244
- peruersa quorundam docendi ratio. L. 236
- Drebbelius (Corn.) usum microscopiorum detexit. H. 106  
 pariter ac thermometra. *ibid.*
- Druides Gallorum Philosophi. H. 35\*
- Dubitatio quid? L. 152  
 non confundenda cum negatione. L. 153  
 differt a *σκέψις*. *ibid.*  
 ex ea oritur scrupulus. L. 154  
 huius effectus. *ib.* 155. 166. 167
- ## E.
- E**leatica philosophia vnde nomen accepit? H. 84
- Eliaca secta vnde dicta? H. 60  
 eius asseclae. *ibid.*
- Entia rationis non confundenda cum non Entibus. L. 15
- Enthymema quid? L. 85
- Enunciatio. *vid. Propositio.*
- Epicurus scholam suam in horto instituit. H. 85  
 plurima scripsit. *ibid.*  
 eius vita. *ibid.*  
 successores. H. 86  
 eius philosophiam restituit Gassendus. H. 87  
 eius principia philosophiae rationalis. H. 87. 88. 89  
 philos. moralis. H. 90  
 Effe-

## RERVM PRAECIPVARVM.

- Esseni** Pythagorae principia adoptarunt. H. 16 \*  
 huius sectae origo. H. 16  
 quando innotuerint? *ibid.* 16 \*  
**Ethica** quid? M. 2  
 est vel dogmatica, par-aenetica, paradigmatica, vel characteristica. M. 4. & \*  
 differt a Iure naturae. M. 6  
 a Politica & Oeconomica. M. 7  
 eius commodissima methodus. M. 8  
 qua methodo vsi fuerint veteres ac recentiores? M. 8 \*  
 eius utilitas. M. 9  
**Euclides** auctor Megaricae scholae. H. 62  
**Examen** sui ipsius quid operetur? M. 278  
**Excerpti** methodus. vid. *Methodus.*  
**Experientia** quid? L. 23  
 cautelae circa eam. *ib.* 24  
**Experimenta** vel facile vel difficilius vel plane non institui possunt. L. 169 \*  
**Exponibiles** propositiones, vid. *Propositio.*  
  
**F.**  
**Fallacia** latitat vel in dictione vel in rebus. L. 102  
 quotuplici modo id fiat in dictione? L. 103  
 in rebus? L. 104. 105. 106  
**Falsitas** aut est in idea simpliciter, aut in iudicio, aut in ratiocinatione. L. 96. 97  
**Falsum** quid? L. 95  
 est vel in propositionum qualitate vel quantitate. L. 98  
 vel certum vel probabile, L. 109  
 dantur gradus falsi. L. 110  
**Fauor** quid? M. 45  
**Fictio** quid? L. 149  
**Fiducia** quid? M. 39  
 fiduciam collocare in Deo quid? M. 202  
**Figurae** syllogismorum. L. 80  
 harum regulae & fundamenta. L. 81. 82. 83  
**Fludd.** (Rob.) thermometra sciuit. H. 106 \*  
**Fortitudo** quid? M. 234  
 G.  
**Galil.** a Galilaeis tubos opticos invenit. H. 106  
**Garrulitas** quid? M. 237  
**Gassendus** philosophiam Epicuri restituit. H. 87  
**Genus** quid? L. 34  
**Geometriam** primus docuit Pythagoras. H. 41  
**Gestus** affectuum signa. M. 108  
**Gewrorum** nomine qui veniant. H. 27.  
**Gratia Dei** quid? M. 201  
**Gravitas** quid? M. 238  
**Graeci** accuratiori philosophandi ratione usi, quam barbari. H. 36  
**Graecorum** philosophorum classes. H. 37  
**Grotius** (Hugo) ius naturae excoluit. H. 118  
 R 5 de

# I N D E X

- de Gœricke (Otto) antliam  
pneumaticam inuenit. H. 106
- H.
- H**Adrianus Cardinalis Ari-  
stotelem e throno de-  
turbare voluit. H. 113. & \*  
ab Hales (Alex.) philos. scho-  
lasticus. H. 100
- Haruaeus (Guil.) circulatio-  
nem sanguinis detexit.  
H. 106
- Hebraea gens sapientiae stu-  
diosissima fuit. H. 14
- Hebraeorum sapientia quae  
fuerit? *ibid.*  
an ab iis profecerint Py-  
thagoras & Plato? H. 15  
reuersi ab exilio Babylo-  
nico graeciffare coe-  
perunt H. 16
- Hegesias mortem voluntari-  
am commendauit. H. 59
- Hermes Trismegistus an vn-  
quam exiiterit? H. 19
- Hermeneutica probabilitas  
quid? L. 134
- Highfliers in Anglia. H. 120
- Historica probabilitas quid?  
L. 135
- Hobbesius (Thom.) I. nat.  
scriptor, H. 118  
fautor Machiauellismj.  
H. 120
- Hoffmann (Dzn.) Aristotelis  
sectae se acriter opposuit.  
H. 113
- Homo & mente gaudet &  
corpore. M. 10. 11
- quinam boni quinam  
mali? M. 159
- Hooekius vsfum microscopio-  
rum commonstrauit.  
H. 106
- Hotomannus (Franc.) fautor  
Monarchomachismi. H. 120
- Huygenius Satellites Saturni  
detexit. H. 106
- Humanitas. M. 237
- Hypothesis quid? L. 131
- I.
- I**Deae quid? L. 21  
sunt vel clarae vel ob-  
scurae. L. 25  
quid clarae vel obscurae?  
*ibid.*  
quid distinctae, quid  
confusae? L. 26  
quid adaequatae & inad-  
aequatae. L. 27  
quis illas primus docue-  
rit? *ibid.* \*  
sunt vel simplices, vel  
compositae. L. 28  
simplices distinctae non  
sunt. *ibid.*  
sunt porro vel substan-  
tiarum, vel modorum  
vel relationum. L. 30  
de idea relatiua nihil ab-  
solute negandum, ni-  
hil affirmandum. L. 32  
sunt etiam vel singulares,  
particulares, vniuersa-  
les. L. 33  
rerum materialium &  
immaterialium ideas  
quo-

## RERVM PRAECIPVARVM.

- |  |   |
|--|---|
| <p>quomodo acquiramus? L. 22</p> <p>idearum innatarum figmentum. M. 24</p> <p>Imaginatio quid? L. 12</p> <p>media eam emendandi. M. 285. 286. 287</p> <p>diuersimode nominatur. <i>ib.</i> 13</p> <p>diuersa apud omnes. M. 17</p> <p>eius morbi. M. 27</p> <p>Impietas quid? M. 228</p> <p>Impudentia quid? M. 237</p> <p>Incessus manifestat temperamta. M. 121</p> <p>quinam prodat ambitionem ridiculam. M. 122</p> <p>Thraionicam <i>ibid.</i></p> <p>militarem. <i>ibid.</i></p> <p>pharisaicam. <i>ibid.</i></p> <p>voluptatem Veneream. M. 123</p> <p>amicam. <i>ibid.</i></p> <p>Bachicam. <i>ibid.</i></p> <p>Auaritiam. M. 124</p> <p>Inciumenta ad veram felicitatem. M. 266</p> <p>Indifferentia quanam sint? M. 158</p> <p>Indorum philosophi. H. 31</p> <p>philosophia. H. 32</p> <p><i>ἰνδοῦσσις.</i> H. 33</p> <p>Ingenium quid? M. 22</p> <p>eius compositiones non semper existunt. L. 14</p> <p>Inhumanitas quid? M. 237</p> <p>Instrumentalis philosophia, vid. <i>Philosophia.</i></p> <p>Intellectus quid? M. 15</p> <p>occupatur circa veritatem. L. 7</p> | <p>eius cognitio quomodo instituenta? M. 257</p> <p>eius operationes. L. 10. &amp; 11</p> <p>apud omnes idem. M. 17</p> <p>oritur ex sensu. L. 17</p> <p>non semper inuenit veritatem. L. 12</p> <p>Interpretatio quid? L. 188</p> <p>eius finis. L. 189</p> <p>eius regulae. 190. usque 207</p> <p>Inuidia quid? M. 41</p> <p>excruciat auaros. M. 60</p> <p>Iobi amici Sabaeorum sectae fuerunt addicti. H. 30</p> <p>Iohnson (Zach.) tubos opticos sciuit. H. 106*</p> <p>Ionicæ Philosophiæ origo. H. 46</p> <p>Ionici Philosophi quinam? H. 49</p> <p>parum excoluerunt philosophiam practicam. H. 48</p> <p>eo magis autem physicam. H. 49</p> <p>daemonibus omnia repleuerunt. H. 50</p> <p>mentis immortalitatem agnouerunt. <i>ibid.</i></p> <p>inuenerunt quaedam geometrica problema. <i>ibid.</i></p> <p>eorum de astronomia &amp; meteoris sententia. <i>ib.</i></p> <p>Ira agitat ambiciosos. M. 58</p> <p>Irati signa. M. 114</p> <p>Irrisio quid? M. 41</p> <p>Italici philosophi originem debent Pythagoræ. H. 39</p> <p>Iudaeorum hodiernorum studia.</p> |
|--|---|



# I N D E X

- dia. H. 18  
**Iudicium** quid? L. 49. M. 22.  
   nascitur ex idearum com-  
   paratione. L. 49.  
**Iudicare** quid? L. 10. 11  
**Iustitia** pro virtute sumta  
   \*quid? M. 227  
   eius vitium oppositum.  
   M. 229

## K.

**K**Ircheri de Patriarchis sen-  
tentia. H. 14

## L.

- L**Aetitia quid? M. 38  
   eius signum. M. 111  
**Lasciuia** quid? M. 40 \*  
**Leibnitius** primus explicauit  
   ideas adaequatas. L. 27 \*  
**Lenitas** quid? M. 238  
**Leuitas** quid? *ibid.*  
**Leuwenhoekius** (Ant.) vsum  
   microscopiorum detexit.  
   H. 106  
**Libri**, an legendi? & quid  
   circa eorum lectionem ob-  
   seruandum. L. 181. 182.  
   183  
**Lippersheimius** (Ioh.) tubos  
   opticos sciuit H. 106 \*  
**Lipfius** (Iust.) illustrauit Stoi-  
   cam philosophiam. H. 80  
**Logica** quid? L. 1  
   est vel naturalis vel ar-  
   tificialis. L. 2  
   agit de veritate certa  
   vel probabili. L. 3  
   eius vtilitas. L. 4

## M.

- M**Achiavellismi origo.  
   H. 119  
   eius affectae. H. 120  
**Magi** Persarum philosophiae  
   ac sacris praecerant. H. 25  
   de Deo male sentiebant.  
   *ibid.* 26  
   eorum principia. *ibid.*  
   eorum reliquiae in Persia.  
   H. 27  
   Arabum Magi. H. 28  
**Magnificentia** quid? M. 231  
**Malum** quod auertit maius  
   malum fit bonum. M. 152  
   ex duobus minimum e-  
   ligendum. *ibid.*  
**Manichaeismus** vnde? H. 26  
**Marius** (Sim.) circumioniales  
   sciuit. H. 106 \*  
**Meditatio** quid? L. 161  
**Megarica** schola, cuius au-  
   ctor Euclides. H. 62  
   huius successores. *ibid.*  
   operam praecipue da-  
   bant Logicae. *ibid.* 63  
   inde & varie dicti.  
   *ibid.*  
**Diogenis** de hac schola  
   iudicium. *ibid.*  
   a sce.

## RERVM PRAECIPVARVM

- a scepticismo & atheismo non fuit immunitas. *H. 63*  
 principia. *ib. 4*
- Melancholicum Temperamentum. vid. *Temperamentum.*
- Melancholicorum character. *M. 60*  
 signa physiognomica. *M. 120*
- Melancholico Cholericis quinam? *M. 63*  
 sanguinei. *ibid.*
- Melanchthon (Phil.) scholasticam philosophiam conseruauit. *L. 102*
- Memoria quid? *M. 22*
- Mendacium quid? *M. 237*
- Mens hominis essentialis pars. *M. 12*  
 est immaterialis & sic spiritus. *ibid.*  
 est indestructibilis & immortalis. *M. 13*  
 suarum perceptionum sibi conscia. *ibid.*  
 eius praestantia. *M. 14*  
 de eius felicitate maxime cogitandum. *M. 14*
- aliquae facultates. *M. 15. & 16*
- inter se non contendunt. *M. 283*  
 eam cognoscimus vel comparate vel absolute. *M. 252*
- Methodus *synthetica* quid? *L. 162.*  
 quid ad eam requiratur?
- evitanda praecuidicia. *ibid 163. 164*  
*L. 165*
- utilis ad eam dubitatio. *ibid.*  
 incipit ab experientia. *L. 108*  
 regulae obseruandae. *ib. 169. 170. usque 180*  
*Analytica* quid, & quomodo instituitur? *ib. 229. 230*  
 docendi dogmatica, paracnetica, characteristica. *M. 4*  
 Excerpendi. *L. 185. 187*  
 Mythologica quid? *M. 5.*
- Meticulosus quis? *M. 112*
- Metius (Ioh.) tubos opticos sciuit. *H. 106 \**
- Metus quid? *M. 38*
- Milton (Io.) fautor Monarchomachismi. *H. 120*
- Misaversionia* quid? *M. 238*
- Miscelliones philosophi Ecclesiastici a sectariis dicebantur. *H. 91. \**
- Misericordia Dei quid? *M. 202*
- Modi qui & quotuplices? *L. 31*  
 syllogismorum absurdum nihil continent. *L. 84*
- Moderatio quid? *M. 238*  
 eius vitium oppositum. *ibid.*
- Modestia quid? *M. 233.*  
 eius vitium oppositum. *ibid.*
- Monarchomachismi origo. *H. 119*  
 eius

# I N D E X

- eius aſſectae & propu-  
gnatores. H. 120  
**M**oralia cadunt ſub demon-  
ſtrationem. M. 3  
**M**oralis Philoſophia, vid. *Phi-  
loſophia*.  
**M**ores quid? M. 69  
   animi ſequuntur tempe-  
  ramentum corporis.  
     H. 56, 57  
   boni virtutem, mali vi-  
  tia conſtituunt. M. 70  
**M**oriens homo prauus quid  
  ſentiat? M. 106 \*  
**M**ors quid operetur in iis, qui  
  vitiis obnoxii? M. 106  
   quatenus malum? M. 153  
   voluntaria nunquam bo-  
  na. *ibid.* \*  
   in ſe non eſt indifferens.  
     M. 154  
**M**orbos corporis facilius ſen-  
  timus, quam animi.  
     M. 264  
   illos amoliri ſtudemus,  
   non aequae hoſ. *ibid.*  
     265  
**M**oſchus Phoenicum philo-  
  ſophus. H. 34  
   male confunditur cum  
   Moſe. H. 35 \*  
**M**uſicam primus docuit Py-  
  thagoras. H. 41  
**M**yltico Chemici in plures fa-  
  milias abierunt. H. 116  
   eorum principia. *ibid.* 117.
- N.
- N**ationum integrarum di-  
  uerſa temperamenta.  
     M. 66
- N**aturalis Logica, vid. *Logica*.  
**N**izolius (Marius) impugnat  
  Ariſtotelem. H. 113  
**N**ominalis definitio, vid. *De-  
  finitio*.
- O.
- O**ccam (Guil.) ſcholasticus.  
     H. 100  
**O**dium quid? M. 37  
**O**dii ſignum. M. 110  
**O**pinio quid? L. 151  
**O**ppoſitio quid? L. 69  
   eſt vel contraria, vel ſub-  
   contraria vel contra-  
   dictoria. L. 70  
   harum regulae. L. 71  
**O**racula gentilium nomen di-  
  uinae reuelationis non  
  merentur. M. 310  
   ſed fraudes produunt. *ibid.*  
**O**roſius quo conſilio Orme-  
  ſtam ſcripſerit? L. 107 \*  
**O**rpheus Thracum Philoſo-  
  phus. H. 35
- P.
- P**aracelſus (Theophractus)  
  Chemiam detexit. H. 106  
**P**aralogiſmus quid? L. 100  
**P**atricius (Franc.) impugnat  
  Ariſtotelem. H. 113  
**P**arere Deo quid? M. 202  
**P**atientia quid? M. 234  
   vitiū oppoſitum. *ibid.*  
**P**atres qui Platonem ſecuti?  
     H. 71  
**P**erfarum Zoroaſter quis?  
     H. 24  
   eorum Magi, vid. *Magi*.  
**P**harifaei ſimillimi fuerunt ſe-  
  ctae Stoicorum graecanicae.

## RERVM PRAECIPVARVM.

- cae. H. 16 \*  
 Philolaus primus motum tel-  
 luris inculcasse dicitur.  
 H. 43 \*  
 Philosophia quid? H. 1  
 non est vulgaris sed so-  
 lida cognitio. *ibid.*  
 non suppeditat praece-  
 pta de sempiterna fe-  
 licitate. H. 6  
 Sceptica quid? H. 4  
 eius origo. H. 97  
 Traditionaria quid? *ibid.*  
 Sectaria quid? *ibid.*  
 Dogmatica nomen Philo-  
 sophiae meretur.  
 male diuiditur in veram  
 & falsam, scepticam,  
 & dogmaticam. H. 5  
 Eclecticæ. H. 91  
 auctor eius est Potamon.  
 H. 93  
 qui hanc methodum se-  
 quuti? H. 94, 95, 96.  
 Instrumentalis quid? H. 7  
 Theoretica quid? *ibid.*  
 Theoreticæ partes. H. 8  
 Practica quid? & quid com-  
 prehendat. H. 9  
 hæc versatur circa co-  
 gnitionem boni. M. 1  
 flectit voluntatem ad  
 bonum adpetendum.  
 M. 4  
 est porro vel barbarica,  
 vel Graecanica. H. 11.  
 & 12  
 Philosophi Eclecticæ. H. 91  
 Miscelliones a sectariis  
 dicti. H. 91 \*
- antiquissimi eorum. H. 92  
 Sceptici eorumque varia  
 nomina. H. 97. & \*  
 Italici originem debent Py-  
 thagoræ. H. 39  
 nouiores de scientiâ pra-  
 cticis magis cogitauerunt.  
 H. 118  
 Phlegmaticum Tempera-  
 mentum. vid. *Tempera-  
 mentum.*  
 Phlegmaticorum character.  
 M. 61  
 signa physiognomonica.  
 M. 120  
 Phaenomena physica non  
 explicanda ex hypothesi  
 metaphysica. L. 147  
 Physiognomonica signa ex  
 lineamentis desumpta an  
 certa? M. 125  
 Pietas quid? M. 227  
 eius vitia opposita. M. 228  
 de Pineda (Ioh.) eius de Pa-  
 triarchis opinio. H. 14 \*  
 Plato eius vita. H. 64  
 quid limini scholæ in-  
 scripserit? *ibid.*  
 principia. H. 65. 66  
 finxit Daemones Deos-  
 que iuniores praeter  
 Deum. *ibid.* 67  
 animam partem coele-  
 stem credidit. *ibid.*  
 modus quo ea purgetur?  
*ibid.*  
 quid de beatitudine sta-  
 tuerit? H. 68  
 commendauit virtutem.  
*ibid.*

# I N D E X

- quomodo virtutes diu-  
 serit. *ibid.*  
 eius successores & ho-  
 rum inter se dissensus.  
 H. 69. 70. 71  
 Platonici retentiores. H. 71  
 Poëtae antiquissimi Graeco-  
 rum philosophi. H. 38  
 horum philosophiae in-  
 terpretatio obscura *ib.*  
 qui eam susceperint? *ib.*  
 Poenitentia quid? M. 38  
 a S. Porta (Durandus) Scho-  
 lasticus. H. 100  
 Porta (Io. Bapt.) tubos opti-  
 cos sciuit. H. 106 \*  
 Posidonius philosophus in  
 schola Zenonis. H. 79  
 Possibilitas quid? L. 149  
 non confundenda cum  
 hypothesi. L. 148  
 Postulatum quid? L. 58  
 non indiget probatione.  
 L. 59  
 Potamon auctor philosophiae  
 Eclecticae. M. 93  
 Praecepta philosophica non  
 sufficiunt ad aeternam fe-  
 licitatem. M. 299. 300. &  
 301  
 Praedicabilia quaenam? L. 34  
 Praedicatum quid? L. 51  
 Praesumptio quid? L. 151 & \*  
 Praesces quid operentur? M.  
 278  
 Probabilitas quid? L. 130  
 eius principium. *ibid.*  
 quotuplex? L. 132  
 Hermeneutica quid, &  
 eius fundamentum?  
 L. 133  
 Historica quid, & eius  
 fundamentum ac re-  
 gulac. L. 134 usque  
 140  
 Moralis vel Politica quid.  
 L. 142  
 Physica quid, & eius re-  
 gulac? L. 143. usque  
 146  
 Problema quid? L. 60. 175  
 probandum est. L. 61. 176  
 Proclus specula caustica in-  
 uenit. H. 106 \*  
 Propositio quid? L. 49  
 constat subiecto & praed-  
 icato. L. 50  
 est vel affirmatiua vel ne-  
 gatiua. L. 52  
 vel vniuersalis particu-  
 laris, & singularis *ibid.*  
 53  
 quando debeat esse vni-  
 uersalis, quando parti-  
 cularis? L. 57  
 Modales quaenam sint?  
 L. 54  
 necessariae fundamen-  
 tum sunt demonstratio-  
 nis directae. *ibid.* \*  
 impossibiles fundamen-  
 tum indirectae de-  
 monstrationis. *ibid.*  
 Exponibiles quaenam &  
 curita vocentur? L. 55-  
 56  
 omni propositioni inest  
 thesis & hypothesis.  
 L. 57  
 quotuplici modo vna ex  
 vna fiat? L. 65  
 Proprium quid? L. 34  
 Propensiones quomodo vin-  
 cantur. M. 288. usque 291  
 notr

## RERVM PRAECIPVARVM.

- non vincimus, quando  
in eremum fecedimus.  
M. 292
- earum vanitas ac miseria  
in memoriam reuocan-  
da. M. 293
- pugna cum eis saepe repe-  
tenda. M. 294
- Prudentia falso habetur pro  
virtute. M. 218
- Pudor, eius signa. M. 116  
subrufticus. M. 237
- Puffendorffius (Sam.) lus na-  
turae excoluit. H. 118
- Pugna rationis & appetitus  
fenfitiui. M. 283  
cum cupiditatibus. *ibid.*  
284  
cum imaginatione. *ibid.*  
285
- cum adfectibus nascenti-  
bus & jam vires ad-  
quirentibus. *ibid.* 286.  
287
- cum vitiis & propensio-  
nibus. *ibid.* 288.
- Purgatorium Platicum.  
H. 67. \*
- Pyrrho, auctor Philosophiae  
Scepticae. H. 97  
ejus sectatores. H. 98
- Pythagoras.  
scriptores de eius vita  
ac dogmatibus. H. 40  
primus docuit Geo-  
metriam, Musicam &  
Arithmeticam. H. 41  
quomodo philosophiam  
definiuerit? H. 42  
eius de mundo opinio.  
H. 43
- hominis essentiam in so-  
la mente positam sta-  
tuit. H. 44  
mentem esse particulam  
essentiae diuinae. *ibid.*  
a Fanaticismo non alie-  
nus fuit. H. 45  
non expilauit Iudaeo-  
rum scrinia. H. 15  
ejus discipulorum clas-  
ses. H. 41. \*
- Pythagorei mundum mediam  
terram continere asser-  
bant. H. 43. \*  
eorum systema mundi.  
*ibid.*

### R.

- R Aius (Iob.) anatomiam  
plantarum inuenit.  
H. 106
- Ramus (Petr.) dialecticam  
tantum excoluit. H. 105 & \*  
Aristotelem impugnat.  
H. 113
- Ratio recta quid? H. 2. L. 119  
bene ratiocinatur. *ibid.*  
eius cognitio vel apo-  
dixica vel probabilis.  
*ibid.*
- Relationum innumerae sunt  
species. L. 31
- Reminiscencia quid? M. 22
- Republicains in Anglia  
H. 120
- Reuelatio quid? M. 303  
eius necessitas. M. 304  
Deus voluit vt omnibus  
innotescat. *ib.* 305  
debet esse diuina. 302. 308

### S

ca

# I N D E X

- ea non est diuina, quae  
 id inculcat quod iam  
 rationis est. M. 306  
 ostendit sufficientia me-  
 dia Dei iustitiae satis-  
 faciendi. M. 307  
 debet esse antiquissima.  
 M. 309  
 & non immutata. *ibid.*  
 vna vera est. M. 304  
 • Rigor nimius quid? M. 238  
 Rusticitas quid? M. 237
- S
- S**abbaeorum philosophia  
 quae? H. 29  
**S**anchuniathon Phoenicum  
 philosophus. H. 35  
 scripsit *Concordia. ibid.*  
**S**anguis ex quibus partibus  
 constat? M. 49  
 eius effectus. M. 51  
**S**anguineum Temperamen-  
 tum. vid. *Temperamentum*.  
**S**anguineorum character.  
 M. 95  
 eorum signa physiognomo-  
 nica. M. 120  
**S**anguineo Cholericis quinam?  
 M. 163  
**S**anitas quatenus bonum  
 quoddam? M. 155  
**S**arpus (Paul.) circulationem  
 sanguinis perspectam ha-  
 buit. H. 106\*  
**S**cenica urbanitas. vid. *Vrba-  
 nitas*.  
**S**ceptica philosophia. vid. *Phi-  
 losophia*.  
**S**cheinerus (Christ.) maculas  
 solares obseruauit. H. 106  
**S**chelus (Ratbodus) Monar-  
 chomachismi fautor. H. 120  
**S**cholastici vapulant ob inuti-  
 les speculationes. H. 6  
 huius sectae antesignani.  
 H. 100  
 inquirunt Philoso-  
 phiam & Theolo-  
 giam. H. 101  
 quidam horum errorum  
 insignes effectus *ibid.*  
**S**cholion quid? L. 63  
**S**cientia quatenus bonum?  
 M. 156  
 quae sit ad eam prima  
 via? M. 250  
**S**cotus (Io. Duns) Scholasti-  
 cus. H. 100  
**S**cribentium officia. L. 247.  
 vsque 255  
**S**criptionum praecipua gene-  
 ra. M. 246  
**S**criptura sacra qui? M. 313  
 quid contineat? M. 314  
 antiquissima est? M. 316.  
 & non immutata. *ibid.*  
**S**crupulus quid? L. 154  
**S**ectaria Philosophia. vid. *Phi-  
 losophia*.  
**S**ectarii quinam? H. 4  
**S**eldenus (Io.) Ius nat. exco-  
 luit. H. 118  
**S**ennertus (Dan.) Chemiam  
 inuenit. H. 106  
**S**ensio, ab ea incipit omnis  
 cognitio. L. 23  
 ponit organa sensoria &  
 quid requirat? L. 115.  
 116. 117. 118  
**S**ensus rite limitati non fal-  
 lunt.

## RERVM PRAECIPVARVM.

- Iunt.** L. 24. & 114  
 quid? M. 25  
 quot? M. 26  
**Septalius (Lud.) Microscopia sciuit.** H. 106\*  
**Sermo quid?** M. 126  
 in eo spectatur forma  
 seu stylus M. 127  
 & materia. M. 132. 133.  
 134  
**Stimulatio eius effectus.** M. 135  
**Sophistae quinam?** L. 104  
**Sophismata dicuntur etiam fallaciae.** *ibid.*  
**Socrates, eius vita.** H. 51  
 bellum indixit sophistis.  
 H. 52  
 purgavit philosophiam a  
 superstitionis Deorum  
 cultibus. *ibid.*  
 eamque traduxit ad vi-  
 tam communem. *ibid.*  
 de Deo & mentis im-  
 mortalitate praeclare  
 sensit. H. 53  
 excoluit philosophiam  
 moralem. H. 54  
 ipse nihil scripsit. H. 55  
 eius discipuli. H. 56  
**Sorites quid?** L. 86  
**Species quid?** L. 34  
**Spes quid?** M. 38  
**Spiritus substantia cogitana.**  
 L. 31  
**Spinoza (Bened.) an Cartesii  
 discipulus?** H. 115  
 eius atheismus. *ibid.*  
**Status hostis miserimus.**  
 M. 260  
 quomodo cognoscen-  
 dus? M. 267. vique 278
- Stoici logicam ad superstitionem  
 vique coluerunt.** H. 80  
 quem ordinem in physici  
 seruauerint? H. 81  
 eorum principia. *ibid.*  
 doctrina de Deo. H. 82  
 philosophia moralis.  
 H. 83  
**Stylus, ex eo de propensione  
 scribentis iudicatur.** M. 127\*  
 ambitiosi & cholericis  
 M. 128  
 sanguinei & voluptuosi.  
 M. 129  
 melancholici. *ibid.*  
 ad elegantem quale re-  
 quiratur temperamen-  
 tum? M. 131  
**Stantius perperam leges di-  
 uinas rituales a Sabbatho-  
 rum ritibus repetit.**  
 H. 30  
**Subdiuisiones, quid de his  
 sentiendum?** L. 48  
**Subiectum quid?** L. 51  
**Substantiae, eas ipsas non co-  
 gnoscimus.** L. 32  
**Syllogismus quid?** L. 73. 75  
 est instar regulae de tri-  
 bus. L. 74. 79  
 quatuor ideae eum vi-  
 tiosum reddunt L. 76  
 constat tribus terminis.  
 L. 77  
 eius figurae. L. 80. vique  
 83  
 compositi quinam? L. 87  
 & in forma & materia  
 se recte habere debet.  
 L. 99  
 82      Siira-



# I N D E X

- Sinenſium philoſophia. H. 34  
 redolet Spinozismum. *ibid.*  
 Synthetica Methodus. vid. *Methodus.*
- T.
- T**almud Iudaeorum fabulas continet. M. 312  
 Temperantia quid? M. 227  
 eius vitium oppoſitum. M. 230  
 Temperamentum quid? M. 51  
 Cholericum quid? M. 52  
 Melancholicum quid? M. 53  
 Sanguineum quid? M. 54  
 Phlegmaticum quid? M. 55  
 nemo vno eoque ſolo praeditus. M. 62  
 vnum praedominatur. *ibid.*  
 ea mutantur pro diuerſitate actatis. M. 64  
 eorum effectus. M. 65  
 Teſtimonium diuinum ſummum gradum fidei attingit. L. 141  
 Thales Mileſius ſectae Ionicae conditor. H. 46  
 Theodoruſ nouam ſectam conſtituit. H. 57  
 qua philoſophia nihil deſteſtabiliuſ. H. 58  
 eius principia. *ibid.*  
 atheiſmum liberrime profeſſi Theodoriani. H. 59  
 Theorema quid? L. 60. 175  
 probatione indiget. L. 61 176  
 Thomafiuſ (Chriſt.) Iuſ Nat. excoluit. H. 118  
 Timere Deum quid? M. 202  
 Toricelluſ barometra inuenit. H. 106  
 Traditionaria Philoſophia. vid. *Philoſophia.*  
 Tranquillitaſ animi quid? M. 207. 208  
 eius cauſae & effectuſ. M. 209. vſque 216  
 Triftitia quid? M. 38  
 Tſchirnhaufiuſ ſpeculorum cauſticorum inuenitor. H. 106
- V.
- V**aleriuſ Magnuſ barometra cognita habuit. H. 106\*  
 Valla (Laur.) impugnat Ariſtotelem. H. 113  
 Velthuſyſiuſ (Lamb.) Iuſ nat. ſcriptor. H. 118  
 Veracitaſ quid? M. 237  
 Verecundia quid? *ibid.*  
 Veritaſ quid? L. 93  
 eſt vel metaphyſica vel moralis vel logica. L. 94. 95  
 vel certa vel probabilis. L. 107. 108. 113  
 eſt vel in idea ſimplici vel in iudicio vel in ratio-

## RERVM PRAECIPVARVM.

- ratiocinatione. L. 96. 97  
 reperitur vel meditando  
 vel legendo. L. 1\*  
 quomodo inuestigetur?  
 L. 160  
 inuenta quomodo pro-  
 ponatur? *ibid.*  
 Virtus homini natura non in-  
 est. M. 71  
 quid? M. 217  
 semper cum studio in-  
 quirendi in Deum  
 coniuncta. M. 218  
 consistit in habitu.  
 M. 219  
 nunquam sponte contra  
 voluntatem diuinam  
 agit. *ibid.*  
 omnes inter se conne-  
 ctuntur. M. 220  
 vna tantum est. *ibid.*  
 consistit in emendata  
 mente. M. 221  
 quomodo differat a iu-  
 ste agere? *ibid.*\*  
 eius norma est voluntas  
 diuina. M. 222  
 obseruat mediocritatem.  
 M. 223  
 versatur circa varia ob-  
 iecta, & varia inde  
 sortitur nomina.  
 M. 226  
 est Dei donum. M. 278.\*  
 absolute bona est. M. 157  
 an sit summum bonum?  
 M. 173  
 Vita bonum praestantissi-  
 mum. M. 153  
 vegetatiua durat, quam-
- diu sanguis circulat. M. 46  
 sensitua quid? & eius  
 ratio. M. 47. 48  
 Vita quid? M. 72  
 tria sunt capitalia. M. 74  
 eorum causa. M. 94  
 diuersimode miscentur.  
 M. 95  
 aegre cognoscuntur co-  
 rum characteres. *ibid.*  
 iis obruti infelicissimi.  
 M. 98. & 105  
 & quae huius rei causa?  
 M. 99. 100. & 101  
 ex eis proficiscuntur ca-  
 lamitates. M. 104  
 sunt causa malorum.  
 M. 262. vide & *Pro-  
 pensiones.*  
 per se ipsa puniuntur.  
 M. 262.  
 Vniuersalia quatenus? L. 34.  
 Voluntas reuera datur. M. 28  
 est libera. M. 29  
 eius actus. M. 30  
 eius cognitio quomodo  
 instituenda. M. 255. 256  
 magis adfectibus quam  
 rationi seruit. M. 284  
 Voluptas vnde oriatur? M. 40  
 quid? M. 81  
 quotuplex? *ibid.*  
 Voluptuosorum character.  
 M. 82. vsque 86  
 eorum signa. M. 113  
 Urbanitas quid? M. 237.

## INDEX RERVM PRAECIPVARVM.

- |   |  |
|---|--|
| X.  | eius successores. <i>ibid.</i><br>Zosimus Chemiac peritus fuit.<br><span style="float: right;">H. 106*</span>  |
| X Enophanes sectae Eleati-<br>cae auctor. H. 84                         | Zoroaster Chaldaeorum phi-<br>losophus. H. 21<br>eius oracula quae adhuc<br>extant genuina non<br>sunt. <i>ibid.</i><br>ab eo differt Perfarum<br>Zoroaster. H. 24 |
| Z.  |  |
| Z Elotopia unde? M. 42<br>eius characteres. M. 117                      |  |
| Zeno auctor sectae Stoicae.<br><span style="float: right;">H. 78</span> |  |

## O P E R A R V M

*σφάλματα.*

- P**ag. 23. lin. 31. *post*, penitus existimabant, *addo*: in eaque  
*ἀγαθῶν* summum bonum positum esse, existimabant  
*εἰς*.
- Pag. 24. lin. 5. *ante* Colonem *addo*: hortum Coloneum.
- Pag. 67. lin. 16. *post* sunt, *addo*: quoties de forma quaeritur.
- Pag. 70. lin. 10. *pro* § L.XI. *lege* §. L.X.
- Pag. 83. lin. 19. *post* jungantur, *addo*: disjungendae disjunc-  
 tantur.
- Pag. 87. lin. 18. *lege*: scripturae diuinitatem.

2365/60





2







